

# EPISTULA LEONINA

## CCLXV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
 CUI NOMEN EST  
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-  
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

**DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM QUINTAM (265)**

# ARGUMENTA

<b>PRAEFATIUNCULA.....</b>	<b>03</b>
<b>ORBIS NON SUFFICIT.....</b>	<b>04</b>
<b>HAICUA MAURI PISINI.....</b>	<b>05-06</b>
<b>DE ETYMOLOGIA MENTULAE*.....</b>	<b>07-48</b>
<b>CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....</b>	<b>49-71</b>
<b>CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....</b>	<b>42-89</b>
<b>ECHUS VOCES EPISTULAE.....</b>	<b>90-128</b>
<i>Christianus Laes (90-91) - Naevius Sartorius (91-95) – Ansgarius Osloensis (95-98)          Joannes Carolus Rossi (99-103) - Radulfus Lavalle (103-105) – Guglielmus Monetti (105-108)          - Iohannes Petrus Knijff (108-110) – Carolus Lyvens (110-116) – David Edwards (116-118) -          Marcus Cristini (118-123) – Victorius Ciarrocchi (123-125) – Urbanus Ferrarius (125-127)          Gaius Licoppe (127-128)</i>	
<b>LIBRI LEONIS LATINI.....</b>	

\* ) »De mentula etymologica quid dicam? Ego ut historicus morum tales investigationes plurimi aestimo, sicuti et quae conscripsisti de fragrantibus. Et Adams erat optimus collega, qui iuxta Mamucium vivebat. Mihi pergratum erat cum illo cenare -- vir singularis, doctissimus. - Perge ergo via tua, quam semper laudabo, Medullitus, Christianus tuus«

CHRISTIANUS LAES Praeses Academiae Latinitatis Fovendae

»Care Nicolae, gratias summas tibi ago. Profecto, tuae theses etymologicae mihi – amatori philologiae – valde placent. Semper etymologia mihi disciplina maxime incunda esse videbatur ...« NAEVIUS SARTORIUS

»Tanta voluptate legens de mentula sum perfusus, ut, si paedico essem, arrigeret mihi in perpetuum.... Ut soles, doctissime materiam atque uberrime tractasti, mi Nicolae, sed Epicuri assecram agnori, qui ista non spernit ac quidem lepore quodam aspergit. Vide cur in te magis Epicurum laudem quam Stoicum... Commentarium de mentula ad Claudium Piga, amicum latinissimum, misi. Operae pretium est tibi significare quid ille rescripserit: "...Placuit doctissima dissertatio de mentula. Ut quodam die tibi dixi, in Sardinia usitatissima fuit haec ratio exclamandi, si quid mirum occurreret improviso, "Minch' e molenti!", scilicet "O mentulam asininam!".« JOANNES CAROLUS ROSSI

»Symbolam tuam, optime Nicolae, quae 'De etymologia mentulae' inscribitur, multis (et fortasse taediosis) laudabilibus adiectivis ornare nolim. Eam igitur symbolam "linendam cedro et levi servandam cupresso"\*\* pro certo habeo.« VICTORIUS CIARROCCHI

\*\*cfr 330 HORATIUS Ars poetica 331sq. ... speramus carmina fangi/ posse linenda cedro et leui seruanda cupresso

## PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS  
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**


*Cara Lectrix, Care Lector,*

fruere aestivis delectamentis, carpe diem, helluare lectione Epistulae Leoninae! - Mente gratissimâ praebeo tibi haicua et chronogrammata piê atque artificiosê confecta necnon toto ex corde tibi suadeo, ut perlegas etiam epistulas et echûs voces mihi a lectoribus benignê oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate incundissimâ... Sed si etiam ea laudaveris quae *de etymologiâ mentulae* scripsi ingenti labore exanclato - *>>sublimi feriam sidera vertice<<*. Pancraticê vale et perge mihi favere.

Medullitus te salutat...

**Dr. Nicolaus Groß**

**Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**




<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae**

**Die Iovis**

**18. m.Aug a.2022**



# **ORBIS NON SUFFICIT**

ECCE INSIGNE HERALDICUM  
GENTIS IACOBI BOND  
SPECULATORIS SECRETI  
SUAE MAIESTATIS  
007

# HAICUA MAURI PISINI

d.05. m.Aug. a.2022 h.18:44

**MAURUS PISINI LEONI LATINO S.**

En tibi, amice, alia quidem haicua pro *Epistulis Leoninis*.

Valeas summopere!

Maurus

## Inquies aestatis indoles

Hac luce vexor,  
at hanc somnum suadentem  
timeo et opto.

*Aper quaeritat  
aquae lamam nequiquam,  
effodit ungue terram,  
sed illa eidem  
nil dat ...*

Nunc, meridies  
fessos prope glutinat  
asphalto gressus.

*Olera parum  
amant climatis ignes,  
cum auris velint frui  
quas ver abstulit  
citius ... (1)*

Ineo calle  
quo pulvis res dealbat,  
birota currit.

*Noctua fervet  
diurno solis aestu  
qui totam noctem durat  
et contra caelum  
stridet ... (2)*

Dum plena cadit,  
stat, leviter ignea,  
luna me coram.

## Maurus Pisini

### *Adnotationes*

1) In poematis II, IV, VI haicui structuram meo arbitrio mutavi. En tibi, lector, schema quo in scribendo usus sum et in quo versus numerantur qui singuli constant 5/7/7/5 syllabis et quibus cauda brevis adiungitur vel 2 vel 3 syllabis praedita.

2) Hos versus suasit mi carmen Iacopi Rubini, quod infra referto et cuius paraphrasin scripsi. Hi sunt stichi:

*Torrida clamans  
noctis silentia altae  
noctua rumpit.*

# DE ETYMOLOGIA MENTULAE

„Wegen der Bedeutung ist die etymologische Beurteilung sehr heikel.“ Hjalmar Frisk  
i.e. Propter vim huius verbi iudicatio etymologica est valdē difficilis.



ECCE MINCTOR BRUXELLENSIS

## *Dispositio disquisitionis*

### Praefatio

#### I) Usus verbi (ThLL)

#### II) Synonyma

#### III) Etyma proposita

##### A) ex linguis peregrinis

- 1) theod. *Mann* 2) sabinum 3) etruscum \*menita 4) sanscrit. मन्थ (manth) 5) gr. μηνύτης  
6) gr. μήδεα, μέζεα, μέδεα

##### B) ex lingua Latina

- 1) **mentum, i n./ ē-min-ēre** (Zeuss, Walde)

- 2) **menta** (a Kretschmer (CIC.fam.), b Alinei)

##### 3) **mens**

- a) exempla aetatis novae: α Coaequales β Rabelais, γ Chorier δ van den Spieghel  
ε Goethe ζ Kraus η Spitzer θ Messing

- b) exempla antiqua: α Martialis β Persius γ Figurae Pompeianae δ Priapea  
ε Maximianus

##### 4) **\*meie-nt-ul-a — meiere**

- (a) Ritschl

- (b) obrussa: α) analoga semantica: **Μ** theodisca (dial.), **Μ** romanica, **Μ** graecum, **Μ** sanscrita

- β) analoga morphologica: p.p.p. + deminutivum

- γ) genus femininum – quale substantivum est supplendum?

- δ) Qualis sermo - obscaenus, nutricius, religiosus?

### IV. CONCLUSIO

### V. COROLLARIUM: Nomen est omen.

#### Explicatio distichi *Mentulae moechantis* Catulliani

#### Index litterarum adhibitarum - Summarium



## FRIEDRICH WILHELM RITSCHL (1806-1876)

PHILOLOGUS INGENIOSUS\* ET INSIDIOSUS\*\*

## NIL TAM DIFFICILE EST QUIN QUAERENDO INVESTIGARI POSSIET

TERENTIUS

(Heautontimorumenos 4,2,8)

\*) *Fridericus Nietzsche discipulus Ritschlii illustrissimus hymnicē laudat fautorem sui:*

»*Ihm (sc. Ritschl) verdanke ich die einzige wesentliche Wohlthat meines Lebens, meine Baseler Stellung als Professor der Philologie: Ich verdanke sie seiner Freisinnigkeit, seiner Scharfsichtigkeit und Hülfsbereitschaft für junge Menschen. In ihm starb der letzte große Philologe; er hinterläßt gegen 2000 Schüler, die sich nach ihm nennen, darunter etwa 30 Universitätsprofessoren.*« (Nietzsche an Cosima Wagner, 19. Dezember 1876, Nr. 581, KGB II 5.210.)

\*\*) Qui fuit auctor atque instigator »BELLI PHILOLOGORUM BONNENSIS« (Bonner Philologenkrieg, 1860-69).



**VOLTAIRE i.e. François-Marie Arouet**  
**(1694-1778)**

»L'étymologie est une science où les voyelles ne font rient,  
 et les consonnes fort peu de chose«

<https://www.wikiwand.com/en/q:Special:Search/Voltaire>


## PRAEFATIO

**Illi philologastri** (*sit venia verbo*), qui aetate Voltarii origines verborum perscrutabantur, haud immerito irrisi sunt ab eodem magno poetâ et philosopho mentium illuminatore, cum dixit etymologiam esse scientiam, in quâ vocales nihili aestimarentur, et consonantes perparvi.

Nam illâ aetate cum parum nôtae essent genealogia linguarum earumque mutuae rationes intercedentes necnon regulae phonologiae et logopoeos, saepe studebant radices verborum invenire ridiculo more *Isidori Hispalensis*, qui lectoribus suis affirmat nomen *canis* bestiae derivatum esse a *non canendo*, i.e. *canem* nomen suum habere, quia *non canat*. Sed etiam postquam saeculo undevicesimo ineunte *Francisco Bopp* et *Rasmo Christiano Rask* aliisque ducibus exorta est miranda prorsus disciplina indogermanistica sive indoeuropeistica inventrix normas phonologicas derivandi, haud raro ii qui radices verborum eruere sibi proposuerunt, aut *sirenam aequisonantiae* fallacem secuti praeproperê ex similitudine verborum credunt ea esse ex eâdem radice exorta aut statim in regiones arcanae et praevetustas evagantur radices exoticas laboriosê extracturi, sed negligunt eas origines, quae in ipsâ linguâ originali sunt manifestae et faciles inventu.

Si agitur de re, quae est naturalis et hominibus ex primis diebus generis humani propria – verisimile est eiusdem nomen non esse originis alienae et exoticæ, sed in ipsâ linguâ propriâ confictum esse. Si agitur de etymologiâ verbi Latini inveniendâ, non solae litterae sunt respicienda sermonis

cultioris rhetorici vel poetici, sed etiam sermonis vulgaris et cottidiani, qui apparet ex inscriptionibus aut reliquiis Latinitatis, quae inveniuntur in linguis dialectisque romanicis, i.e. italicis, sardis, hispanicis, catalanicis, lusitanis, raetoromanicis similibusve.



**HJALMAR FRISK (1900-1984)**

»Wegen der Bedeutung ist die etymologische Beurteilung sehr heikel.«


Hac symbolâ Leo incumbit in verbum Latinum ex lectione Catulli atque Martialis optimê nôtum, cuius etymologia adhuc incognita remansit et aenigmatica. Quid est, cur tot viri doctissimi laboribus numerosis exanclatis nil certi nobis dicere sciant de radice verbi **mentulae**, quod significat rem, quae Romanis tam naturalis videbatur, ut appellarent ipso nomine *naturae*?<sup>1</sup> Causam istius lacunae etymologicae minus scientificam quam psychologicam affert *Hjalmar Frisk*, lexici linguae graecae etymologici auctor illustris, qui graecum verbum eiusdem significationis tractans

<sup>1</sup> cfr ThLL 9.1.1 s.v. **natura** 188,19-35 IV per euphemismum indicantur pudenda (subest, ut vid., metonymia ad differentiam sexus spectantes, ...similem usum exhibet vox q.e. φύσις, sed infra gr. resp. ποτίσθιον... A genitalia ...1 hominum vel deorum...a feminarum....b virorum .... CIC.nat.deor.3,56 cuius Mercurii obscenius excitata -a traditur, quod aspectu Proserpinæ commotus sit. TERT.adv.Val.1,3 membro virili mysteriis venerato -ae venerandum nomen allegorica dispositio praetendens ... MIN.FEL.9,4 eos Christianos ferunt...sacerdotis colere genitalia et quasi parentis sui -am...

(μήδεα, μέζεα, μέδεα) nobis affirmat perdifficile esse de huius verbi etymologiâ iudicare propter eiusdem *significationem*<sup>2</sup>. Verisimile non est hanc causam nostrâ aetate adhuc valere.



ANTOINE MEILLET (1866-1936)



ALFRED ERNOUT (1879-1973)

**Dictionnaire étymologique de la langue Latine. Histoire des mots. 4.édition, Paris 1959:**

**mentula**, -ae f.: *membrum virile*. Mot populaire (*Catulle, Mart.*). Les gloses ont une forme vulgaire *mencla*, *CGL II* 481, 40; cf. *ital. minchia* (dont l'i est dû peut-être à l'influence de *mingere*, cf. *M. L.* 5513), et le composé *menclilingia*, vulgaire et tardif. Dérivé: *mentulus*. - **Ni le rapport avec menta, ni le rapport avec mentum ne s'imposent**. Sur la parenté possible avec le skr. *mánthati* «il baratte, il obtient du feu par frottement», etc. v. en dernier lieu Vendryes, *MSL* 21, 39.



ALOIS WALDE (1869-1924)

«...vermutlich zu *eminere*, *mons* (*mentum*?)  
als 'stehendes' oder als 'hervorspringendes'.

<sup>2</sup> cfr Hjalmar Frisk, Griechisches Etymologisches Wörterbuch, Band II, 3.Auflage, Heidelberg 1991, p.222, s.v.  
“1. μήδεα ... Wegen der Bed ist die etymol Beurteilung sehr heikel.“



JOHANN BAPTIST HOFMANN  
(1886-1954)

Alois Walde/ Johann Baptist Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, 2.Band (M-Z) Heidelberg 1972, p.72 s.v. mentula: «**Et.(ymologisch) unsicher, wohl nach Kretschmer ... als volkstümliche symbolische Bezeichnung Demin. von menta ‘Minze’ wegen der ihr zugeschriebenen Wirkung als Aphrodisiakon** (roman. Parallelen bei Pisani-Kretschmer Gl.12,283. Spitzer Gl.16,138; vgl. auch Kerényi Gl.20,186 f., der den Volksglauben an die Zeugungskraft eines stark duftenden Strauches heranzieht). Daß es zwar zu *ruta* ein *rutula* gibt, nicht aber ein Demin. zu *menta*, fiel den Alten auf (CIC. Epist.9,22,3, Hier. In Is.47,1-3 p.455C; vgl. Leumann Gl.20,276)...Zeuß KZ.17,431 f., 19,188f. Aufrecht KZ.27,220f., Krogmann Gl.23,224 (als ‘stehendes’ oder ‘hervorspringendes’ zu *mentum*, *mons*, *eminere*; dagegen Kretschmer Gl.12,105 [trifft den obszönen Charakter des Wortes nicht]. - **Natürlich nicht aus \*meintula zu meio** (Ritschl Opusc.IV 764, dagegen Zeuß KZ.19,188f.) Walde-P. II 263»

Investigatio Leonis est quadruplex: qui respondebit quinque his quaestionibus quae sequuntur:

- I) De usu verbi ***mentulae*** antiquo quid docet nos Lexicon Latinitatis omnium uberrimum et doctissimum, i.e. THESAURUS LINGuae LATINAE?
- II) Quae synonyma litteris Romanis nobis tradita sunt?
- III) Quae etyma a philologis usque nunc proposita sunt?
- IV) Conclusio: Quae explicatio est veri simillima? An nova potest inveniri, quae est verisimilior?
- V) **Corollarium:** Etymo invento novâ ratione explicabo distichum ***Mentulae moechantis*** Catullianum.

Ergo intende, lector, - ut ait Apuleius – delectaberis.

**I) De usu verbi *mentulae* antiquo quid docet nos Lexicon Latinitatis omnium uberrimum et doctissimum, i.e. THESAURUS LINGuae LATINAe?**

**ThLL 8,782,38-783,21: *mentula*, -ae f.** [a menta per deminutionem populari ratione (ut gr. βληχώ ‘αἰδοῖον’) derivatum esse censem Kretschmer, Glotta 40 12,1923,105 et 283, *fort recte. J.B.H.*] scrib. -tl-: CIL III 10189, 16 IV 760, 2. 1391. 3103 (add. p. 216). 4246. VII 204 mentlai ('fuit aut mentlae aut mentlam' Huebner) -cl-: GLOSS.II 481, 40.cf. p. 695, 60. met-: CIL IV 7089. *alludit ad mentulam ut vocem in honestam Cic.epist. 9,22,3 (v.p.772,43).*

GLOSS.ψωλή. *legitur ap.* 45 CATVLL., IMP. AVG., PRIAP., MART., ANTH., INSCR. [it. minchia. M.-L.] [dub. *interpr.*: PRIAP.80,4 (v. Housman, Herm. 66,1931,405). 85 (Verg. 2), 21 (cf. Birt, Jugendverse .Vergils 34). CE 56 mentula cessas (men tu lacessas *intelligi voluisse vix recte suspicatur* O. Skutsch, Herm.68,1933,353). *contextu non sano:* PRIAP. 85 (Verg. 2), 18.] 50

**i. q. membrum virile, penis {pars pro toto: l.77.84.p.783,1. 4.5.18 [cf. p.783,17].**

*pro abstract.: 1.83. de pene sculpto Priapi: l. 57. 61 sqq. 65. p. 783,7.*

*nota ellipsis:* CATVLL.56,7 rigida mea [MART.9, 47, 6]. PRIAP.6, 4 totam . . . hane [v. vol. VI 2742, 14. *adde* CIL X 8145]. PETRON.132,11 v.1 illa): CATVLL.37,3 solis putatis esse mentulas vobis. 115,8 omnia magna haec sunt, tamen ipsest maximus ultiro, non homo, sed vero mentula magna minax (PRIAP.8,5. MART.6,36,1 tam mentula cf. PRIAP. 39,6 luculenta. 69,4 quot pondo est tibi mentulam cacandum [v.Housman, Herm.66,1931,404]. 80,1 longa..., crassa. MART.7,14,10 sesquipedalis. 7,91,4 luxuriosa. cf. et p. 783,11). IMP.60 AVG.Mart. 11,20,8 quid quod mihi vita carior est ipsa mentula? PRIAP.2,8 Musas ducere mentulam ad Priapi (cf. MART. 7,91,4 custodis . . . dei). 9, 13 mentula semper aperta est (cf. 9,1 sine veste). 12, 7 solet anus . . . , ne desit sibi, mentulam rogare. 20, 6 me terribilem mentula tenta facit (73, 2 non stat . . . t. cf. MART.2,45, 1 non stabat [3, 75, 1 opp. arrigere. 65 11, 25, 2. 11, 27, 1]. 6, 73, 8 rigeat [de Priapo]. 7, 18, 12 cui non mentula mensque cadit? 12, 86, 2 surgit [12, 97, 9]. 12, 97, 7 languet). 23, 5. 29,5 cum cunno mihi mentula est vocanda (cf. MART.10, 90, 8). 37, 7 Asclepio curatum dare mentulam verebar (cf.37, 13). 45, 7 mentula quos habet, capilli. 49, 4. 50, 7 totam . . . , Priape, . . . cingemus tibi mentulam coronis. 70 52, 12 cum tantum sciet esse mentularum (*iocose detortum ex Catull. 5,13*). 68,8 pediconum mentula merdalea est (cf. ANTH.902, 6). 68, 10. 11. 22 quam *radicem* cum μῶλυ vocat, mentula (sc. *Ulixis*) μῶλυ fuit. 70, 7 libamine mentulae comeso. 74, 2 per medios ibit pueros . . . mentula. MART.1, 35, 5 hi libelli, tanquam coniugibus suis mariti, non possunt sine mentula placere 76 (cf. 3, 69, 2). 1, 58, 3 queritur de me mea mentula mecum ([β, secum γ. cf. Helm, PhW. 46,1926,83]. 9,2,2). 1,58,5 sestertiolum donavit mentula Phoebo bis decies ([sc. *pro libidine perversa*]. cf.9, 63, 2 mentula quem pascit). 1, 96, 13 nec otiosis mentulas videt labris (*in balneo*. cf. 2, 70, 5 necesse est ante hic mentula quam caput lavetur. 9, 33, 2. 11, 75,4). 80 2,45,1 praecisa est mentula (cf. 3,81,3 abscisa est. 3, 85,4 cum sit salva. 9, 2, 14). 2, 62, 2 cincta est brevibus mentula tonsa pilis (cf. 9, 27, 2). 3,71, 1 mentula cum doleat pueru, tibi, Naevole, culus. 3,76,3 non haec est mentula demens? (*de libidine in vetulas*). 3,91,12. 6, 23,2 (*syn. penem*). 7,30,8 Romana tibi mentula nulla placet (cf. I. 74). 7,35,6. 7,55,8 linges . . . , quae de Solomis venit . . . , damnata modo mentulam tributis (CIL IV 1441. 2400, 3. 3103 [add. p. 216]. 5278. cf.CIL IV 760, 1 obli(n)ge. 760, 2 elinges. 1391, 3 exmuccav(i)t). 9, 32, 6 poscentem nummos . . . possideat crassae mentula Burdigalae. 9, 37, 9. 10, 63, 8 fuit . . . una pudicitiae mentula nota meae. 11, 15, 10 illam, ex qua nascimur, . . . quam sanctus Numa mentulam vocabat. II, 18, 21 cum stet sine falce mentulaque *Priapus*. 11,19,2. 11,22,5. 11,46,3. 6 summa petas: illic mentula vivit anus (c/. 14, 74, 2). 11, 58, 11. 11, 70, 6. 11, 78,2.11,90,8. CILIII 10189,16 Dindari vivas et invidis mentla(m). IV 1776 (add. p. 212) Pilocalus mentu<l>a(m). 1938 (add. p.704) me(n>:-tula tua iubet. 7089 im(m)anis mentula es (INSCR.NSc.1936 p.328,167a [*Pompeis*] mentul(a) es. *fort. eodem pertinet*

INSCR. NSC.1936 p. 344, 235 [Pompeis]). CE 47 accensum qui pedicat, urit mentulam (*cf. Buech. ad l.*).230,2 futuitur cunnus <pil>osus multo melius <quam> glaber: e<a>dem continet vaporem et eadem v(ell)it mentulam. TAB.devot. Audollent 135 A 8 (s. II/III) merilas vent<r>e<m> -a(m) crus. . . defi<g>o. *nota*: iocose pro cognom. (sc. 'Mamurra'): CATVLL.29,13 ut ista vostra diffutata mentula ducenties comesset aut trecenties. 94, 1 mentula moechatur. moechatur mentula: certe hoc est quod dicunt, ipsa olera olla legit. 105,1 mentula conatur Pipleum scandere montem. 114,1.115,1 (c./115,8 p. 782,56).  
deriv.: mentulatus.  
compos.: menclilingia.

Haec hactenus Thesaurarii referunt de verbo mentulae.

## II) Quae synonyma a Romanis nobis tradita sunt?

In antiquis litteris Latinis invenimus haec nomina membra virilis quae sequuntur<sup>3</sup>:

**fascinus**, -ī m., **mugium**, -ī n., **mugillum**, -i n., **muttō**, -ōnis m., **mutūnium**, -ī n., **pēnis**, -is m., **pipinna**, -ae f., **sopiō**, -ōnis m., **vās**, vāsis n., **veretilla**, -ae f., **veretrum**, -ī n., **verpa**, -ae f.<sup>4</sup>

## III) Quae etyma *mentulae* a philologis usque nunc proposita sunt?

Quantum scimus, ad originem verbi Latini, q.e. *mentula*, explicandum usque nunc decem etyma proposita sunt, quae infra singillatim ad obrussam exacturus sum.

### A) ex linguis peregrinis:

1) **theod. «Mann» (Kraus)**<sup>5</sup>: Vix fieri potuit, ut nomen membra virilis Romanum derivaretur e nomine theodisco (lingua theodisca nondum exstitit aetate Romanorum classicâ) vel protogermanico – potius conici posset utrumque nomen esse exortum ex eâdem stirpe indoeuropaeâ. At verbum theodiscum sensu originali non sôlum spectat ad viros, sed

<sup>3</sup> cfr Epistula Leonina 260, p.9-79: THESAURUS LATRINITATIS VIVAE. Glossarium scatologiae Latinae abundantissimum.

<sup>4</sup> cf. lituanicum **varpa** «1. ear of corn, 2. (anatomy) penis (used as medical anatomical term. - cfr <https://www.wordsense.eu/varpa/>): «From Proto-Indo-European. Cognate to Latin *verpa*». Nomen sermonis remissioris: <https://www.wordsense.eu/bybys/#Lithuanian>: «**bybys** (vulgar, slang, anatomy, referring to the penis) dick, cock.»

<sup>5</sup> v. Ludwig August Kraus, Kritisches-etymologisches medicinisches Lexikon, 2., stark vermehrte Auflage, Wien 1831, s.v.: „Mentula, Menta, = Penis; man hat viele Ableitungen dieser Wörter versucht....Selbst vom Teutschen ‚Mann‘ sollte das Wort gebildet sein...“

generaliter valet ad homines (cfr angl. *woman* = homo utero (*womb*) instructus)<sup>6</sup>. Itaque hoc etymon mentulae parum valet.

2) **Sabinum verbum priscum et religiosum**, fortasse ad generationem spectans, certē non turpe, sed religiosum mentulam esse opinatur **Peruzzi**<sup>7</sup>.

cfr MART.11,15: Sunt chartae mihi quas Catonis uxor/ et quas horribiles legant Sabinae:/ hic totus volo rideat libellus/ et sit nequior omnibus libellis./Qui vino madeat nec erubescat/ pingui sordidus esse Cosmiano,/ ludat cum pueris, amet puellas,/ **nec per circuitus loquatur illam,/ ex qua nascimur, omnium parentem,/ quam sanctus Numa mentulam vocabat.**/ Versus hos tamen esse tu memento/ Saturnalicios, Apollinaris:/ mores non habet hic meos libellus.

**Numa Pompilius** traditur fuisse rex Romae secundus, qui vixerit ab a.750 usque ad a.672 a.Chr.n., et rexerit ab a.715 usque ad mortem suam. Primo eum cum uxore vixisse Curibus in terrā Sabinorum. Rêge Romulo mortuo patre suo amicisque urgentibus Numa successit Romulum. Numa narratur pio animo religionem coluisse et sapienter lèges tulisse et artes fabriles et mercaturas et agriculturam fovisse<sup>8</sup>. - Lingua Sabina fuit una ex linguis Italicas Latinae cognata. Sabini fuerunt accolae Romanorum. Lingua Sabinorum nobis non est tradita inscriptionibus, sed in litteris Latinis restant nonnullae glossae et voces mutuatae, praesertim in scriptis Varronis, Sexti Pompeii Festi, Mauri Servii Honorati<sup>9</sup>.  
Unâ cum Peruzzi licet ex versibus Martialis supra allatis concludere nomen mentulae aetate priscâ non fuisse obscaenum.

---

6 cfr Friedrich Kluge, Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache, 21. Auflage, Berlin/New York 1975, p.459sq. s.v. ,Mann‘: „...Die Urbedeutung ‚Mensch‘ hält sich in j e m a n d, n i e m a n d, m a n; s.d. u. M e n s c h. In alter Sprache konnte das Wort ebensogut von weiblichen Wesen stehen wie von männlichen, vgl. anord. *kvennmaðr*, aschwed. *kvinmaðer*; ags. *wifmann*, engl. *woman*, Weib‘...“

7 cfr Peruzzi, Etimologie Latine, Rivista di Filologia e di Istruzione Classica; Torino tom.103, (Jan 1, a.1975): p.272sq.: „(Mart.11,15,5-10)...‘ex qua nascimur, mentulam vocabat... A parte la possibilità che si tratti di parola sabine, ciò significa che mentula ricorreva in un testo del (o attribuito al) pio Numa..., forse a proposito della generazione, e certo non come verbum turpe.“

8 [https://de.wikipedia.org/wiki/Numa\\_Pompilius](https://de.wikipedia.org/wiki/Numa_Pompilius)

9 cfr Robert Seymour Conway: *The Italic Dialects, edited with a grammar and glossary.* vol.1, 1897, p.352–363

**3) etruscum \*menita «dator» (G.sg.: menitla) (Breyer)<sup>10</sup>: religiosum, cfr Peruzzi**

*Gertraud Breyer* conicit nomen mentulae derivatum esse ex verbo etrusco, q.e. \*meni-ta, quod valet «dator» et dicitur e radice etruscâ «men-», i.e. «dare, praestare». Indicat hoc verbum esse epitheton ipsius *Maris*, quae fuisse videtur Etruscorum dea amoris et fecunditatis Veneri similis. Porro *Breyer* Martialem atque *Peruzzium* secuta putat sensum nominis originalem minimê fuisse turpem et obscaenum, sed religiosum. -

Sed etymon *Breyeri* Etruscum mihi videtur in dubium vocandum. Lingua Etrusca non est indoeuropaea, ergo similitudo aut formae aut significationis non potest explicari ex origine etrusci et latinis nominis communi. Licet Romani ab Etruscis haud pauca nomina mutuati sint ad nomina propria et ad rem publicam spectantia, tamen non est verisimile eosdem verbum peregrinum recepisse ad rem denominandam maximê naturalem. Nam nomen mentulae cum ter decies legatur in inscriptionibus Pompeianis, concludendum est eum non sôlum fuisse poeticum, sed etiam popularem; si *Martiali* credimus, nomen mentulae est praevetustum.

**4) sanscriticum (vedicum) pramanth- «instrumentum fricandi, lignum significum» (C.G. Jung, Vendryes)<sup>11</sup>**

**RIGVEDA 3,29 HYMNUS DEI IGNIGENAE (AGNI = IGNIS)**

**अस्तीदमंधिमन्यनुमस्ति प्रुजननं कृतम् । एतां विशपत्वीमा भराग्नि मन्थाम पूर्वथां ॥**


astīdam **adhimanthanam** asti prajanānam kṛtam | etām viśpatnīm ā bharāgnim **manthāma** pūrvathā  
*Apparatus attritionis est paratus: generatio (flammae) est parata; adduc hanc domūs protectricem et antiquo more fricemus ignem (excitantes).*

**मन्थ** (manth) i.q. *fricare*. **अधिमन्थनुम** (adhimanthanam) i.q. *apparatus attritionis*. -

10 cfr Gertraud **Breyer**, Etruskisches Sprachgut im Lateinischen unter Ausschluss des spezifisch onomastischen Bereiches, *Orientalia Lovaniensia Analecta*, Leuven 1993, p.361: lat. *mentula*, ae f.: „Es handelt sich also, wenn Mart. l.c. Glauben zu schenken ist, um ein hochaltertümliches Wort, wohl aus einer, um es vorsichtig zu formulieren, dem Religiösen nahestehenden Sphäre... Etr.(uskische) Par.(allele): Belegt ist *menitla* CIE 5237 (TLE 359) eines der Epitheta des *Maris*, von Pfiffig DES,295, als Gen. Von **\*meni-ta „der Geber“**, zu men- „geben, leisten“, gedeutet. Zusammenhang mit lat. *mentula* scheint, insbesondere im Hinblick auf die oben zitierte Martialstelle, nicht ausgeschlossen. Herleitung von lat. *mentula* aus etr. *menitla* wird in Anbetracht dessen, daß es sich um eine Genetiv-Form handelt, nicht in Betracht zu ziehen sein. Doch steht die Möglichkeit offen, *mentula* auf synkopiertes **\*men-ta** mit diminuierendem etruskischem oder lateinischem l-Suffix ...zurückzuführen.“

11 cfr Ernout-Meillet, s.v. *mentula*: „Sur la parenté possible avec le skr. mánthati «il baratte, il obtient du feu par frottement», etc. v. en dernier lieu Vendryes, MSL 21, 39.“ - cfr Walde-Hofmann, t.II, s.v. *mentula*: „Andere, nicht bessere Deutungen von ...Vendryes MSL 21,39f. (**als Instrumentalnomen «Reiber» von ai. mánthati «quirlt» usw. [s. mamphur 1.mando]; die ital. Entsprechungen dieser Wurzel erscheinen als lat. mand-, osk.-umbr. manf-, auch Fem. dabei unklar...**“

Carolus Gustavus **Jung** (1875-1961), Helvetius psychologus atque psychiater illustris, huic allegoriae, quā generatio hominis, i.e. coitus venereus, comparatur cum afflictione vel attritione ligni duri et mollis, maximam vim psychologicalm attribuit<sup>12</sup>.



**ECCE RATIO IGNIS EFFICIENDI  
PRISCA IN VEDIS CELEBRATA  
ET CUM GENERATIONE HOMINIS  
COMPARATA - Specta cinema!**

<http://www.sacredhearthfrictionfire.com/vedicfirechurn.html>




**pramantha** i.q. *lignum ignificum*, quod nomen affertur ab eodem psychiastro, nondum invenitur in Rigvedā, sed in opere posteriore<sup>13</sup>. Etymologi in aliis linguis indoeuropaeis complura nomina invenerunt

12 cfr Carl Gustav Jung, Symbole der Wandlung, in: Esther Keller-Stocker: <https://www.theologie-visionen/bewusst/jung/jungSymb068.html>: „Die Fähigkeit Feuer zu machen ist eine der frühesten und revolutionärsten Taten des Menschen. «Feuer entfachen» entsteht durch Reiben und Bohren zweier Hölzer. Ähnlich wie im Beispiel der Aborigines entfachte der Frühmensch im Ritus Feuer statt sich der sexuellen Erregung hinzugeben. Eine Bestätigung findet er im indischen Rigveda: Da ist von einem harten Holz die Rede, das sich in ein weiches Holz bohrt. Das harte Reibholz wird Pramantha (Pra-manth-a) genannt. Es wird sexuell aufgefasst, als Phallus und Mann. Dies weist auf die verweigerte Sexualität im Feuerritus hin. So ist das unten liegende Holz die Vulva oder das Weib, das erbohrte Feuer das Kind, der göttliche Sohn Agni. Das harte Holz (Pramantha) wird Purûravas genannt, das weiche Urvaçi. Das Kind, d.h. der Feuergott Agni erhält den Beinamen Mâtariçvan «der in der Mutter Schwellende». Zum Akt der Feuererzeugung verweist C.G. Jung auf ein Lied des Rigveda (III, 29, 1-3).“

13 Kātyāyana-Śrautasūtra (White Yajur-Veda). cfr Monier-Williams, Sir Monier, Sanskrit-English Dictionary, Oxford 1899, s.v. प्रमन्थ [pramantha] “m. a stick used for rubbing wood to produce fire Lit. KātyŚr.”.

instrumentorum fabrilium, quae ex eâdem radice verbali indoeuropaeâ (\*menth- “*torquendo fricare*”) possunt derivari. Sed eadem non spectant ad membrum virile<sup>14</sup>. - Haec etymologia, quâ mentula sensu originali valet *instrumentum fricandi*, non impossibilis videtur, sed parum verisimilis; desunt adhuc analogia in linguâ latinâ necnon linguis romanicis.



**Joseph Vendryes**

\* 13. 1. 1875 (Paris)  
+ 30. 1. 1960 (Paris)



Ohne Emotionen kann man Dunkelheit nicht in  
Licht und Apathie nicht in Bewegung  
verwandeln.

(Carl Gustav Jung)

[gutezitate.com](http://gutezitate.com)

**Carl Gustav Jung** (1875-1961)

14 cfr Walde-Hofmann, Lateinisches Etymologisches Wörterbuch, tom.II, Heidelberg 1972, p.22, s.v. *mamphur*: „richtiger \*manfur (n.), ein Stück der Drehbank, Scheibe aus Holz, die mit einer zweiten durch ein darum gewickeltes Leder verbunden ist“ (Paul.Fest.132...osk. Lw. \**manfur*..., zu an. *monduli* m. „Drehholz an der Handmühle“, mhd. *Mandel* „Wäscherolle“ ...lit. *mentūris* „Quirlstab“...Wz. \**menth* “quirlen, drehend bewegen“, in ai. *Mánthati...*“

5) **μηνύτης index (sc. virilitatis)**, wie ‘mentum’, cfr μαντεύομαι (**Kraus**)<sup>15</sup>

Haec etymologia neque ratione semanticâ neque morphologicâ videtur esse persuasibilis: nomen indicis videtur esse nimis generale, verbum graecum phoneticê parum quadrat cum latino.

6) **μήδεα, μέζεα «membrum virile; urina» (Döderlein)**<sup>16</sup>. Quod verbum graecum videtur a nomine *mingendi* derivatum esse (gr. ὄ-μείχω, cfr sanscr. *meh-* et *medhra!*), quamquam *Frisk* non audet concedere talem rationem his verbis intercedere. Habemus etiam locum in litteris Graecis, ubi «*mezea*» valet i.q. lotium, urina<sup>17</sup>.

### III B) ex linguâ Latinâ:

1). **mentum Zeuss, Walde, ab e-min-ere, mons.**<sup>18</sup>

Haec etymologia mentulae a *Zeuss* proposita, postea a *Walde* recepta, secundum formam est derivatio facillima: deminutivum substantivi *mentum* (i.q. projectura faciei inferioris): **mentum** → \***ment-ul-um** → **ment-ul-a**. At ratione semanticâ haec etymologia haud valdē est persuasibilis. Nam in corpore sunt multae regiones eminentiores, sed non invenio analogon populare, quo membrum virile comparatur cum mento. E contrario *plebecula* saepius idem organum comparat cum naso et

15 v. Ludwig August Kraus, Kritisches-etymologisches medicinisches Lexikon, 2., stark vermehrte Auflage, Wien 1831, s.v.: „Mentula, Menta, = Penis; man hat viele Ableitungen dieser Wörter versucht....Wahrscheinlich entstand es, wie sicher auch *Mentum*, von **μηνύτης**, der Anzeiger (nämlich der Männlichkeit oder Mannbarkeit), *Index (virilitatis)*: μηνύω, anzeigen, offenbaren, verrathen; verwandt mit μαντεύομαι etc., s. *Mantis*.“

16 cfr Ludwig Döderlein, Handbuch der Lateinischen Etymologie, Leipzig 1841, p.110: „*mentula* das männliche Glied, Deminutiv von μέζεα, μήδεα.“

17 cfr **Liddell-Scott**, p.1125 s.v. **μῆδος (B)**, εος, τό, Ep.Noun, only pl. **μήδεα**, genit. Od.18.67,87, 22.476, Androm. ap. Gal.14.41; Od.6.129, cf. Call.Fr.50P. v. μέζεα, (in late Prose, Ant.Lib.17.6) 2. **urine**, λαγόνων ἀπὸ μήδεα χεύη Opp.C.4.441). cfr op.mem., p.1089 s.v. **μέζεα**, ον, τά, = μήδεα (cf. μῆδος B), Hes.Op.512, Lyc.762: sg. in Hsch.; μήδεα, Arch.138. — cfr sanscrita nomina membra virilis q.s. *medhra* (suffixum instrumentale -dhra! Membrum appellatur instrumentum *mingendi*) – n. et *mehana* i.q. membrum virile, urethra, a radice sanscritâ MEH “mingere”.

18 **Alois WALDE**, Lateinisches etymologisches Wörterbuch, 2.Aufl., Heidelberg 1910, p.477, s.v. *mentula*: *mentula* ‘das männliche Glied’, vermutlich zu *eminere*, mons (mentum?) als ‘stehendes’ oder als ‘hervorspringendes’ (Zeuß KZ.XVII,431 f., XIX,188f., Vaniček Gr.-lat. et. Wb. 698, Aufrecht KZ XXVII,220 f.). Wohl nicht nach Curtius 335f., Vaniček 206, Johansson IF XIV,333,XIX.135 zu aisl. *moṇḍuli* ‘Drehholz’ u.s.w. (s. *mamphur*, mando, da die ital. Entsprechungen dieser Wz. Als lat. *mand-*, o.-u. \**manf-* erscheinen). Gewiß nicht aus \**mejentula*, zu *mējo* (s. dagegen Zeuß KZ XIX,188 f.)» - **ZEUSS KZ** («Kuhns Zeitschrift», i.e. Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung auf dem Gebiete des Deutschen, Griechischen, und Lateinischen, hgg. v. Dr. Adalbert Kuhn) XIX 188f.: «...entgegen steht dieser endung (-entula in \**mejent-ula*, v.infra 7.) erstens, dass die von mir vorgeschlagene (*ment-ul-a* aus \**ment-ul-um* «parvum mentum») einfacher ist, indem es bei ihr weder der annahme des ausfalles eines j, noch der einer contraction bedarf, und zweitens der vergleich mit *mentum*. Ist auch die bedeutung von *mentula* nach der ableitung von *mejere* eine significantere, so scheint doch, wie für *mentum*, welches sonder zweifel von der wurzel men abzuleiten ist, so auch für *mentula* der begriff des hervorragens hinreichend bezeichnend, zumal bei der annahme, dass dieses wort ursprünglich ein scherhafter ausdruck gewesen sei. Marienwerder.»

contenditur intercedere quaedam ratio inter magnitudinem nasi et membra virilis<sup>19</sup>. Zeuss videtur cogitasse de sinu vel eminentia bracarum ut indice virilitatis. Sed Romani extra Germaniam non solebant gerere bracas<sup>20\*</sup>.

## 2). *menta* Paul KRETSCHMER: *a nomine mentae plantulae*

ThLL 08,782, s.v. *mentula*, lin.39sq. [*a menta per deminutionem populari ratione (ut gr. βληχώ ‘αἰδοῖον’) derivatum esse censem Kretschmer, Glotta 40 12,1923,105 et 283, fortasse recte. J<ohann>B<aptist>H<ofmann>*]



**PAUL KRETSCHMER**


(1866-1956)

**Paul(us) Kretschmer** primus thesin proposuit, quā nomen *mentulae* duxit a nomine *mentae*, i.e. herbae. Quonam modo haec idea bono *Paulo Kretschmero* in mentem venire potuit? Legerat epistulam Ciceronis ad Paetum scriptam, ubi orator omnium Latinissimus de verbis impudicis evitandis agens nomen *mentulae* strictē evitans explicat deminutivum

19 Quod e.g. appareat e proverbo theodisco: «Wie die Nase eines Mannes, so auch sein Johannes». (Johannes, nomen discipuli Iesu gratissimi, est iocosum nomen populare *mentulae*). Simili Minervā crassā in Germaniā matronae puellis procos eligentibus solebant furtim suadere ut praferrent *mentulas* breves crassasque longis angustisque: «Kurz und dick – der Frauen Glück, lang und schmal – der Frauen Qual». Ceterum apud Arabes nasus magnus haberi solet pro signo eximiae virilitatis. Multa scientifica aut potius pseudo-scientifica de relatione nasi et genitalium scripsit *Wilhelm Fließ* (1858-1928) rhinologus, qui diutius cooperatus est cum *Sigmundo Freud*.

20 cfr <https://www.jolie.de/stars/bulge>: «Bulge: Was zeichnet sich bei den Promis in der Hose ab? Was ist ein Bulge? Wir haben es schon alle oft gesehen und dennoch nie den passenden Begriff dafür gehabt. Was ist ein Bulge? Mit dem Wort „Bulge“ wird das Herausstechen des männlichen Geschlechtskörpers beschrieben. Zeichnet sich der Penis des Mannes durch seine hautenge Boxershorts ab, so wird diese „Beule“ auch als „Bulge“ bezeichnet.»

*rutae* quidem exstare (*rutula*), sed nequaquam adhiberi deminutivum *mentae*.<sup>21</sup> Scilicet eum sentire indecorum esse adhibere formam *mentulae*. At hōc loco Cicero non loquitur de etymologiā: nullo modo dicit nomen membra virilis derivatum esse a nomine plantae, quae sit *menta*!<sup>22</sup> Primo de nomine cuiusdam *mentae* Graeco, quod *Kretschmer* credit ab Aristophane in comoediā *Lysistratae* poni pro genitalibus (βληγώ, i.q. *Mentha pulegium*, angl *pennyroyal*) ideoque esse indicium etymi *mentulae*. Errat bonus Paulus in hac re. Nam agitur hōc loco *Lysistratae* (v.89) de pube sive crinibus vulvae cuiusdam mulieris evulsis, qui comparantur cum *mentā*<sup>23</sup>.



**MARIO ALINEI**  
(1926-2018)



PLATE VII.—*Mentha piperita*, The source of *Oleum Menthae Piperita* (peppermint oil). (From Jackson: *Experimental Pharmacology and Materia Medica*.)

Nunc de usu *mentae* aphrodisiaco: sunt testimonia antiqua, quibus haec planta affirmatur ad venerem excitandam utilem esse. Sed quando umquam genitalia denominata sunt secundum herbam, quae creditur vim habere ad illa? Nonne potius talis planta denominatur secundum genitalia? Quid dicam de similitudine formarum *mentae* et *mentulae* putativā? Certē interdum penis sermone populari comparatur cum plantis plantarumque partibus (e.g. cum caule, radice, palmā), sed *menta* plantula haud apta esse videtur ad talem comparationem.


21 CIC.fam.9,22,3 ‘Ruta’ et ‘menta’: recte utrumque. Volo mentam pusillam ita appellare ut rutulam: non licet.

22 cfr James Noël ADAMS “His (sc. Cicero’s) reference to a diminutive form of *menta* was not offered as an etymology, but was a means of avoiding explicit use of the obscenity.”

23 ARISTOPH.Lys.87-89 Μυρρίνη. Νὴ μὰ Δία Βοιωτία καλόν γέχουσα τὸ πεδίον. Καλονίκη. Καὶ νὴ Δία κομψότατα τὴν βληγώ γε παρατειλμένη. i.e. Latinē: **Myrrine**. Per Iovem, Boeotia (mulier), pulchra habens inferiora. **Calonice**. Et, per Iovem, bellissimē **pubem** depilavit. cfr Gordon M. Messing, The Etymology of Lat. *Mentula*, Classical Philology vol.51, n.4, p.247sq.

**Mario Alinei**, qui thesin Kretschmerianam defendit, cum usum aphrodisiacum popularem causam afferat talis denominationis, tum praecipue formam *antherae* florae mentae masculini, quae ei videtur esse persimilis glandi virili, si quidem praeputium retractum sit.<sup>24</sup> En, cara Lectrix, care Lector, aspice imaginem florae *Mentae piperitae*, et *antherae*, quae invenitur mediâ in parte superiore imaginis (v. supra). Est sanê magna similitudo; sed sine megaloscopio (quod Romanis nondum fuit) *anthera* haud bene conspicitur. Bono Mario autem persuasum est Latinos praehistoricos agriculturae peritissimos hanc similitudinem *antherae* glandisque virilis cognovisse.

Ceterum si prisci Romani profecto hanc similitudinem observaverunt, nonne potius mentam denominaverunt secundum genitalia masculina quam vice versâ? Haud raro hoc fit. Verbi gratiâ fungus ille venenosissimus a *Carolo Linneo* propter stupendam formarum similitudinem nuncupatus est *Phallus impudicus*, sed eo tempore non iam fuit necessarium nomen invenire pro membro virili.



His de causis non possumus quin in thesi *Kretschmeri* et *Alinei* examinandâ sequamur iudicium *Adamsii*<sup>25</sup>.

24 **Mario Alinei**, L'etimologia di it. *minchione*, it.mer. *minchia* e lat. *mentula*. Quaderni di semantica/n.s.1 (2015), p.407-415. cfr p.413: »Mi sembra quindi di poter concludere affermando che l'origine della *mentula* latina e della *minchia* dialettale moderna stia non solo nella proprietà afrodisiaca attribuita alla menta dagli antichi, ma anche nella **grande somiglianza del glande maschile con l'antera del fiore della menta**, che solo degli esperti agricoltori che facevano grande uso di questa erba, come dobbiamo immaginare i Latini preistorici, avrebbero potuto rilevare.«

25 **James Noël Adams**: Latin Sexual Vocabulary, London 1982, p.16 concludit: "But it seems unlikely that such an obscure plant would have provided such a common name for the male organ. Sexual metaphors of any currency owe their origin to the obvious sexual symbolism of the object which serves as the vehicle of the metaphor. It is scarcely conceivable that the spearmint stalk was so suggestive to so many people that the metaphor should have caught on in the whole community."



JAMES NOEL ADAMS  
(1943-2021)

### 3) mens, mentis f.

#### a) exempla aetatis novae

##### α) Coaequales

Formam verbi mentulae si consideramus, sine ullâ difficultate derivare possumus ex verbo mentis, si stirpi adiungimus suffixum deminutivum: *ment-[is] + -ula = mentula*. Inestne mentulae parva mens propria a mente cerebrali seiuncta eidemque adversa? In moderno sermone cottidiano - sive serio sive iocosê - talis cogitatio apud varias gentes haud raro patefit<sup>26</sup>.



FRANÇOIS RABELAIS (1483-1553)

#### β) François Rabelais (1494/83–1553): «Pantagruel» (lib.IV praef. nova)

a.1552:

»Et habet tua mentula mentem!«

---

26 e.g. <https://www.elitedaily.com/dating/brain-men-2>: „The **second brain** that all men have. ...Having a penis makes things both more interesting and more confusing. You may be the most diligent employee in an entire company, but as soon as the possibility of getting your dick wet comes along, you basically forget all your goals and aspirations. ...“ - <https://www.homus.it/2020/11/19/la-mentalita-maschia/>: „Il pene è un radar che può riconoscere il piacere al di là della razionalità. Se pensiamo ad un maschio sano, il pene è sempre in grado di riconoscere ciò che è allettante, interessante, da tutti i punti di vista o smentire un interesse che è solo immagine ossessiva. In questo senso il maschio deve imparare a riconoscere i segnali del pene non solo in ambito sessuale.“ --- <https://elasombrario.publico.es/envidia-dildo-pensar-dos-cerebros/> „*Por qué los hombres desacoplan la actividad de su pene de la voluntad de su mente?* Hay una necesidad de quererse a través del rendimiento del falo, dicen unos; es la tendencia a la dualidad del adentro/afuera, dicen otros. – <http://alainserbin.over-blog.fr/article-le-penis-deuxieme-cerveau-de-l-homme-120923417.html> - <https://www.heute.at/s/-ich-befürchte-mit-dem-penis-zu-denken--44086956>

In novâ praefatione quarti libri fabulae sua «Pantagruel» (ed. a.1552) *Franciscus Rabelaisius* Iovem summum deum inducit Priapum his ferê verbis alloquentem<sup>27</sup>:

*L'un a quelque sçavoir: l'autre n'est ignorant. L'un aime les gens de bien: l'autre est des gens de bien aimé. L'un est un fin & cauld Renard: l'autre mesdisant, mesescrivant & abayant contre lesantiques Philosophes & Orateurs comme un chien. Que t'en semble diz grand Vietdaze<sup>28</sup> Priapus? I'ay maintes fois trouvé ton conseil & avis equitable & pertinent: & habet tua mentula mentem.*

*Id est Latinê:* «Unus aliquid scit: alter haud est indoctus. Unus amat bonos homines; alter amatur ab hominibus. Unus est vulpio versutus atque callidus, alter maledicit et male scribit et oblatrat antiquis philosophis et oratoribus tamquam canis. Quid tibi videtur de hac re, Priape, magne *Onophalle*?<sup>29</sup> Interdum invêni tuum consilium suasumque aequum et aptum: **et habet tua mentula mentem**».

Hôc loco *Pantagruelis* evidenter apparet Rabelaisium mentulae Priapi attribuere mentem. Scilicet poetam hôc in contextu satirico verbis ludere neque eundem his verbis contendere se radicem invenisse mentulae etymologicam. Itaque *Utz Maas* hanc sententiolam Rabelaisii appellat «*Kalauer*», i.e. iocum vulgarem parumque lepidum.


γ) At **Nicolaus Chorier** (1612-1692), Francogallus auctor pornographus famosus, qui falso nomine *Iohannis Meursii* opus lascivissimum a se scriptum attribuit cuidam sorori piae, cui nomen fuit *Aloisea Sigea*, mentulam autonomam suâ lège cogitantem propriâque voluntate agentem explicat accuratê; sub praetextu rationis scientificae exponit aetiologiam nominis<sup>30</sup>:

27 [https://fr.wikisource.org/wiki/Le\\_Quart\\_Livre/Prologue](https://fr.wikisource.org/wiki/Le_Quart_Livre/Prologue) „La Vie inestimable du grand Gargantua, père de Pantagruel, jadis composée par l'abstracteur de quinte essence. Livre plein de Pantagruélisme“. a.1534 sive a.1535. Le quart livre des faicts et dicts héroïques du bon Pantagruel a.1552.

28 cfr [29 \*\*Onophallus\*\*, -i m. \*mentula asini\*. Hôc verbo novato utor ad illud „\*Vietdaze\*“ Rabelaisianum Latinê reddendum. Quod valet aut virum stultissimum aut – hôc loco – salacissimum, qualis Priapus ab Iove haud ineptê appellatur.](https://www.cnrtl.fr/etymologie/vi%C3%A9dase//0:,,VIÉDASE, VIÉDAZE, subst. masc. viet d'aze = vit d'âne i.q. «mentula asini» («vit» e lat. <i>vitis</i>), quod valuit aetate Rabelaisii aut «stultus, baburrus» aut (hôc loco) i.q. «lascivissimus, salacissimus») Étymol. et Hist. 1. a) 1532 <i>viet d'aze</i> « <b>vit d'âne</b> » (Rabelais, <i>Pantagruel</i>, XI, éd. V. L. Saulnier, p. 84);...“ - «vit» verbum francogallicum quid valeat unde exortum sit: <b>cfr Auguste Scheler, Dictionnaire d'étymologie française</b>, Bruxelles/ Paris 1862, p.338, s.v. 2.vis: «<i>2. vis</i>, subst. fém., vfr. Viz. Le vfr. <i>vis</i>, <i>viz</i> et prov. <i>vitz</i> signifiaient également escalier tournant ou limaçon. Le mot représente le <b>latin <i>vitis</i></b>, vrille de vigne, pampre; ... Le radical <b><i>vit</i></b> (sans s) se retrouve encore dans le langage populaire pour signifier le <b>membre viril</b> (p. prov. Viet)...»</p>
</div>
<div data-bbox=)

30 cfr **Aloisiae Sigeae** Toletanae Satyra Sotadica **de Arcanis Amoris et Veneris** sive Joannis Meursii Elegantiae Latini Sermonis – **auctore Nicolao Chorier**. Introduzione, testo, e appendice critica a cura di Bruno Lavagnini, Catania 1935, p.42, lin.25-32.

*Sicut enim a mente mentulam dixerunt, sic etiam cunnum ab intelligentiâ. Nimurum et mentula sicut se ipsa regit, ut mente praedita esse videatur, mentis quae in capite sedet, imperiis parum obsequens ita hic et per se agit, et per se intelligit, in rationis leges rebellionem movens, quae solo possit non mentis, sed mentulae beneficio componi...*



NICOLAS CHORIER (1612-1692)

8) **Adriaan VAN DEN SPIEGHEL (1578-1625)**, Batavus anatomicus, chirurgus, botanicus in contextu anatomico e contrario commemorat etymon mentulae – ut ita dicamus - mentalem: more Isidori Hispalensis («*canis a non canendo*») explicat originem verbi e negativo: mentulam appellatam esse secundum vim suam virum mente privandi: «*mentula – quia rigida haec pars, viro mentem eripit*»<sup>31</sup>

ε) **Johann Wolfgang von GOETHE (1749-1832)** etymon mentulae mentalem affert more poetico, non philologico. Queritur enim in epigrammate se poetam Germanum male vexari, quod nullum habeat verbum sat decorum ad membrum virile denominandum.

»Gib mir statt “der Schwanz” ein ander Wort, o Priapus,/ Denn ich Deutscher, ich bin übel als Dichter geplagt./ Griechisch nennt ich dich φαλλος - das klänge doch prächtig den Ohren,/ **Und lateinisch ist auch mentula leidlich ein Wort./ Mentula käme von mens**, der Schwanz ist etwas von hinten,/ Und hinten war mir niemals ein froher Genuß«.<sup>32</sup>

31 **Adriaan VAN DEN SPIEGHEL (1578-1625)** niederld. Anatom, Chirurg, Botaniker): «*mentula – quia rigida haec pars, viro mentem eripit*» (ap. Joseph Hyrtl, Onomatologia anatomica, Wien 1880, p.393, 260 Penis...5. Gurgulio und Mentula....und die Mentula des Catullus erklärt Spigelius: »quia rigida haec pars viro mentem eripit».

32 **Johann Wolfgang von Goethe**, Venezianische Epigramme 141, Venedig 1795, <https://www.gutenberg.org/cache/epub/5326/pg5326.html>



JOHANN WOLFGANG VON GOETHE  
(1749-1832)

Poeta rogat Priapum, ut sibi det loco verbi «*der Schwanz*» (i.e. cauda) aliud nomen membra virilis theodiscum. Graecē si scriberet, idem appellaret τὸν φάλλον – quod nomen auribus sonaret magnificē – si Latinē, ***mentulam* – quam vocem etiam esse satis probam, nam duci a mente** (*sic!*), sed *caudam* esse rem posticam, et loco postico sibi numquam fuisse laetam voluptatem.

ζ) **Ludovicus Augustus Kraus** in *Medicinali Lexico suo critico-etymologico* Vindobonae a.1831 edito etiam affert etymologiam *mentulae* mentalem, sed novā ratione explanatam: secundum etymon a Krausio allatum nomen, quod Cicero tam obscenum esse sentit, ut strictē evitet, et quod Martialis docet aetate praevetustā a rēge Numā Pompilio sensu ferē religioso adhibitum esse, a nutricibus confictum esse membrum puerile blandissimē alloquentibus: «*Mentula mea!*»<sup>33</sup>


Licet haec etymologia Krausiana nimis phantastica sit, oportet hoc unum teneamus: Propter *mentulae* *suffixum deminutivum (-ula)* haud improbabile videtur esse, hoc nomen membra virilis quamvis aetate Ciceronis pro obscaeno habitum sit, tamen longo tempore antea iam confictum esse ab infantorum matribus nutricibusve, esse ergo originaliter nomen sermonis nutricii blandum.

Cum derivatio *mentulae* mentalis ab auctoribus usque nunc memoratis non afferatur nisi more lusorio aut iocoso aut satirico, nunc philologus commemorandus est, cui persuasum fuit nomen *mentulae* reverā ex verbo

<sup>33</sup> **Ludwig August Kraus**, Kritisch-etymologisches medicinisches Lexikon, 2., stark vermehrte Auflage, Wien 1831, s.v.: „*Mentula*, *Menta*, = Penis; man hat viele Ableitungen dieser Wörter versucht, z.B. von Mens: die Ammen sollten das Glied an Säuglingen „*Mentula mea!*“ wie Corculum, „mein Herzchen!“ genannt haben! ...“

mentis exortum esse. Idem enim non ludit verbis, sed nobis affirmat se proponere thesin scientificam:

η) **LEO SIEGFRIED SPITZER (1887-1960).** Qui defendit etymon mentale ideâ mentulae autonomae a mente cerebrali seiunctae suâ lêge suâque voluntate cogitantis atque agentis:



LEO SIEGFRIED SPITZER (1887-1960)

*Quaero ex me, num debeamus perquam simpliciter de hōc verbo populari (invenitur apud Catullum et Martialem; hoc -ula redolet affectum animi popularem) de mente sensu ‘cognitionis sc. concretae’ ita ut apud Vergilium, Aen.1,676 qua facere id possis, ‘nostram nunc accipe mentem’: idea independentiae mentis partium genitalium, hic modus vivendi a reliquo corpore seiunctus; quo nescio an plebecula antiqua commota sit...<sup>34</sup>*

*Leo Spitzer romanista ab Utz Maas biographo suo refertur fuisse psycholinguista erotomanicus sive indole suâ Veneri petendae deditus sive theoriis Freudianis atque Jungianis imbutus<sup>35</sup>.*

*Utz Maas: «In symbolâ suâ c.t. ‘De verbo mentulae Latino’..., ubi hoc verbum, quo penis appellatur, refert ad verbum mentis, quod habet sensum contrarium (nixus*

34 originaliter: **Leo Spitzer**, «LAT. MENTULA». Bulletin de la Société de Linguistique de Paris, L, p. 46-47: »Je me demande s'il ne faut pas tout simplement penser pour ce mot populaire (il se trouve dans Catulle et Martial; le -ula ressort à l'affectivité populaire) à mens au sens de «pensée (concrète)» comme dans Virg., Aen. 1, 676 qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem: l'idée de l'indépendance d'esprit des parties génitales, cette façon de vivre à part du reste du corps; pourrait avoir frappé le peuple ancien [...].«

35 **Utz Maas:** <https://zflprojekte.de/sprachforscher-im-exil/index.php/katalog-m-z/s/440-spitzer-leo-siegfried>, Verfolgung und Auswanderung deutschsprachiger Sprachforscher 1933-1945 – Spitzer: »...[92]’Über lat. *mentula*...», wo er dieses Wort für Penis mit dem gegensinnigen *mens* ‘Verstand’ zusammenbringt (gestützt auf einen *Kalauer bei Rabelais*)...Bei diesen Studien hatte er eine ausgesprochene Vorliebe für sexuelle Termini...Für diese etymologischen Studien bombardierte er seine Fachkollegen mit Postkarten, in denen er ihnen seine Einfälle unterbreitete.«

*quâdam facetiâ Rabelaisii vulgari)... his rebus cognoscendis studens Spitzer maximê amabat terminos technicos Veneris ... Ad talia studia etymologica colenda collegis suis grandinatim mittebat chartulas cursuales inscriptas, in quibus illos de ideis suis faciebat certiores».*



Gordon Myron MESSING (1917-2002)

### §) Gordon Myron MESSING (1917-2002):<sup>36</sup>

Messing e verbis linguarum romanicarum derivat verbum Latinitatis vulgaris non testatum: *\*mentare* (quod conicit significasse "commemorare" aut "proponere"), ex quo exortum sit adiectivum *\*mentulus* ("proposita tractans, agens"). Aetate rei publicae exeuntis viros Romanos hoc adiectivum adhibuisse ad iocos lascivos faciendos, quae spectarent ad *vim (membri virilis) petitoriam* ("wooing power"). Itaque verbum *mentulae* nondum traditum inveniri in litteris Latinitatis priscae, sed primo inveniri apud Catullum, qui magni aestimaret verba sermonis remissi et lascivi. Messing affirmit nomen *mentulae* exortum esse ex ideâ, quâ penis agat tamquam procus ("suitor") et petitor ("wooer") et ambitor ("courter") alicuius hominis amati. Verbo *mentionis* mediante nomen *mentulae* esse ratione etymologicâ coniunctum cum verbo *mentis*, tamen non esse eiusdem deminutivum.

---

36 Gordon Myron Messing, "The Etymology of Lat. *Mentula*", Oct. 1956 *Classical Philology* (Vol. 51, No. 4, pp. 247–249). Ceterum idem Harvardianus dissertationem suam scripsit Latine: "De consonantibus quae laryngophoni vocantur praecipue quod ad linguam graecam attinet" (Harvard, 1942). Sophos!

Messing concludit haec (*Latinē reddidi, LL*): “*Scilicet me non ausim insistere in omnibus huius etymologiae rebus singulis affirmandis, quia sunt merē hypotheticae. Tamen cogito saltim comparationem mentulae sc. procum vel petitorem valentis cum locutione, q.e. mentionem facere et verbo restituto, q.e. \*mentare, esse rationi consentaneam et convenire cum sensu obscaenē iocoſo, quo antiqui hōc verbo utebantur*”<sup>37</sup>.

### b) Exempla antiqua

Num etiam viri Romani sic cogitaverunt? Ex fontibus allatis cognovimus aetate novā inde ex tempore Rabelaisii idea, quā auctores cogitant mentulam esse mentali independentiā, haud raro inveniri. Nunc maximi momenti nobis est investigare, num talis idea inveniatur etiam antiquis in litteris Latinis.

- a)** Si **Martialis** dicit **mentulam esse dementem**<sup>38</sup>, etymum, quod tractanus, memorat ratione contrariā. Sed īdem loco citato loquitur de certā condicione, quā mentula more viri dementis se gerere sibi videtur.
- β)** In locutione quam invenimus apud **Persium** (PERS., Sat. 4,48: *si facis, in penem quidquid tibi venit*), īdem poeta penem pro mente ponens ludit cum locutione q.e. *in mentem venire*. Ipsā ex aequatione *mentulae* et *mentis* patet subesse etymon *mentulae* mentale.
- γ)** Quod etymon dilucidissimē appareat ex duobus carminibus litteraturae Latinae antiquitatis: quorum unum est **Carmen Priapeum** ab anonymo auctore saeculo primo p.Chr.n. scriptum, alterum, quod a philologis appellari solet «*Hymnus mentulae*», est opusculum **Maximiani**, poetae saeculi sexti.
- δ)** **Carmina Priapea** sunt collectio octoginta (quibusdam in editionibus nonaginta quinque) carminum brevium ab ignotis auctoribus variis metris pactorum, quae spectant ad Priapum deum phallicum. Quae carmina computantur aut saeculo primo p.Chr.n. aut ineunte saeculo secundo scripta esse. Secundum theoriam traditam Carmina Priapea sunt anthologia poematum a variis auctoribus de eādem re scripta. Sed nuper dictum est

37 “Naturally, I should not dare insist on all the details of the etymology just proposed, for they are pure hypothesis. Nevertheless, I think that at least the comparison of *mentula*, sc. ‘the suitor, the wooer,’ with *mentionem facere* and *\*mentare* is both reasonable and true to the obscenely humorous nuance which the ancients sensed in this term”.

38 MART. 3,76,3 non haec est mentula demens? (*de libidine in vetulas*)

omnia haec poemata esse reverâ unum opus unius auctoris, qui describeret quadamtenus vitam Priapi a iuventute eius vegetâ usque ad senectutem impotentem.

In carmine Priapeo 68 auctor iocosê atque lascivê fata quattuor personarum mythi Homerici (Paridis, Helenae, Ulixis, Penelopae) explicat effectu mentulae. En, Cara Lectrix, Care Lector, legas hoc carmen Priapeum: miraberis et delectaberis!



## CARMEN PRIAPEUM LXVIII<sup>39</sup>

Rusticus indocte si quid dixisse videbor,  
da veniam: libros non lego, poma lego.  
sed rudis hic dominum totiens audire legentem  
cogor Homereas edidicique notas.

5

ille vocat, quod nos psolen, ψολόεντα κεραυνόν,  
et quod nos culum, κουλεόν ille vocat.  
μερδαλέον certe nisi res non munda vocatur,  
et pediconum mentula merdalea est.  
quod nisi Taenario placuisset Troica cunno

10

mentula, quod caneret, non habuisset opus.  
mentula Tantalidae bene si non nota fuisset,  
nil, senior Chryses quod quereretur, erat.

<sup>39</sup> [https://www.hs-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost01/Priapea/pri\\_corp.html](https://www.hs-augsburg.de/~harsch/Chronologia/Lspost01/Priapea/pri_corp.html)

Corpus Priapeorum ca. 90 p.Chr.n. Textus: Carmina Priapea - Gedichte an den Gartengott latine et germanice ed. Bernhard Kytzler tr. Carl Fischer - Zürich/München 1978

haec eadem socium tenera spoliavit amica,  
quaeque erat Aeacidae, maluit esse suam.

15

ille Pelethoniam cecinit miserabile carmen  
ad citharam, cithara tensior ipse sua.  
nobilis hinc nata nempe incipit Ilias ira  
principiumque sacri carminis illa fuit.  
**altera materia est error fallentis Ulysei;**

20

si verum quaeras, hunc quoque movit amor.  
hic legitur radix, de qua flos aureus exit,  
quam cum μῶλυ vocat, mentula μῶλυ fuit.  
hic legimus Circen Atlantiademque Calypson  
grandia Dulichii vasa petisse viri.

25

huius et Alcinoi mirata est filia membrum  
frondenti ramo vix potuisse tegi.  
ad vetulam tamen ille suam properabat, et omnis  
**mens erat in cunno, Penelopea, tuo:**  
quae sic casta manes, ut iam convivia visas

30

utque fututorum sit tua plena domus.  
e quibus ut scires quicunque valentior esset,  
haec es ad arrectos verba locuta procos:  
«nemo meo melius nervum tendebat Ulyse,  
sive illi laterum sive artis opus.

35

qui quoniam periit, vos nunc intendite, qualem  
esse virum sciero, vir sit ut ille meus.»  
hac ego, Penelope, potui tibi lège placere,  
illo sed nondum tempore factus eram.

## ε) Figurae Pompeianae: mentulae alatae



**ECCE POMPEIANAE MENTULAE ALATAE – NONNE EX TALIBUS FIGURIS EVIDENTER APPARET IDEAM MENTULAE ANIMALIS PROPRIĀ MENTE PRAEDITAE ROMANIS ANTIQUIS HAUD ALIENAM FUISSE?**

ζ) In **Hymno** autem **Mentulae** a Maximiano poetā sexto saeculo medio scripto saepius verbum mentis loco mentulae poni et eo modo doctrinam Plotino a Boethio acceptam celebrari nos docent nonnulli philologi moderni.<sup>40</sup>

**Maximianus<sup>41</sup>** in elegiâ suâ quintâ, quae computatur composita esse medio saeculo quinto p.Chr.n., narrat poetam amatorem potentî arrigendi

40 <https://classicalstudies.org/annual-meeting/152/abstract/mens-and-mentula-philosophical-reading-maximianusE2%80%99-hymn-penis> Grace FUNSTEN: The Mens and the Mentula: A Philosophical Reading of Maximianus' Hymn to the Penis

41 [https://de.wikipedia.org/wiki/Maximianus\\_\(Dichter\)](https://de.wikipedia.org/wiki/Maximianus_(Dichter)): "Maximianus verfasste um die Mitte des 6. Jahrhunderts **Elegien** in gepflegtem Latein, von denen sechs überliefert sind." - Editio: Michael Petschenig: *Maximiani Elegiae ad fidem codicis Etonensis*. Berlin 1890 [https://archive.org/details/bub\\_gb\\_JutOAQAAIAAJ](https://archive.org/details/bub_gb_JutOAQAAIAAJ)


orbatum esse, cum a *Graiā puellā* (6) seductus esset. Haec autem puella cum animadverterit se non posse resarcire damnum virilitatis, quod amator suus contraxit primo de mentulā „mortuā“ lamentata (87-104) deinde hymnum canit de mentulae viribus generativis (109-152). *Gratia Funstenia* (*Grace Funsten*) argumentatur hymnum puellae quamvis iocosum etiam spectare ad philosophiam neoplatonicam tractandam. At philologi saepius inter se disputant, utrum auctor hac elegiā serio tractet philosophiam, an potius iocetur. Szövérffy (1968) argumentatur hoc poema esse saturam hymnumque esse „*meram cavillationem*“ desiderii feminini (364). Arcaz Pozo (1995) et Meyers (2003, 2018) poema similiter considerant parodiam, cum *Spaltenstein* (1983, 273) explicet hymno graviter examinari vim amoris. *Uden et Fielding* (2010) medium comprobans inter nimium et parum positum dicit hymnum et esse parodiam et simul esse tractatum de naturā mundi cyclicā scriptum. *Gratia* autem *Funstenia* hac ambivalentiā carminis ab *Uden* atque *Fielding* observatā cum nitatur, examinat seriem lusuum verborum, qui spectant ad mentem eoque demonstrat hymnum posse explicari intellectūs neoplatonici celebrationem (**voūς** i.e. Latinē **mens**). Maximianus in carmine suo alludit ad etymologiam putativam eo quod verbum *mentis* ponit locis, ubi melius quadrat nomen *mentulae*. E.g. scribit de puellae mammis coxisque: *mentem... movebat* (29), et potentiā arrigendi amissā dicit: *verecundia mentem / abstulit* (55-56), necnon narrat puellam deinde studere membro amatoris virili stimulando: *quicquid mentem sollicitare solet* (102). *Funstenia* credit Elegiam Maximiani quintam non solum esse saturam, sed etiam hymnum, quo poeta simul celebret facultatem generativam *mentulae* necnon *mentis* idque noetico sensu neoplatonico (mens = **voūς**).

#### **4. a) Friedrich Wilhelm Ritschl (1806-76): meiere → \*me-ie-nt-ula → mentula**

His testimoniis antiquis perquisitis concludimus ideam mentulae mente propriā praeditae Romanis minimē alienam fuisse. Licetne etiam concludere nomen mentulae exortum esse verbo mentis, i.e. mentem esse radicem mentulae etymologicam? Ex duabus causis haec etymologia mihi videtur esse addubitanda.

*Prima causa:* Omnes loci quos invēnimus, sunt plus minusve poetici; poetae potius ludunt his verbis duobus, quae insignia sunt formarum similitudine, sed sensum contrarietate. Poetae nolunt problema

etymologicum solvere, sed scribunt iocosē atque satiricē. Si putamus nomen mentulae esse praevetustum (sec. Martialem iam Numa Pompilius eodem usus erat) et respicimus inscriptiones haud paucas vulgares, quae scatent hōc verbo, conciendum nobis est idem non esse exortum usu poetarum, sed plebeculae parum eruditae parumque artificiosae.



FRIEDRICH WILHELM RITSCHL  
(1806-1876)

*Alterca causa:* Si putamus mentulam fuisse nomen membra virilis generale, non est verisimile idem spectare ad munus eiusdem venereum, nam non geritur a primis pueris, sed demum ex pubertate ineunte, necnon solet finiri aetate senili. Alterum autem munus membra virilis naturale est munus lotii sive urinae ex corpore ducendae, cuius gratiā viri (contra ac feminae) possunt mingere stantes.

Nonne nomina membra virilis inveniuntur, quae spectant ad eiusdem functionem mictoriam? Matres nutricesve cum puerulis loquentes nonne utuntur talibus nominibus? Primus, qui talem etymologiam *mentulae* proposuit, videtur fuisse **Fridericus Ritschl** (1806-1876) philologus praeclarus et contemptor disciplinae indogermanisticae sive indoeuropaeisticae methodique linguas inter se comparandi, sub pseudonymo «*Kein Sprachvergleicher*» (nullus comparator linguarum) in *Museo Rhenano* periodico palaeophilologico publicavit etymologiam mentulae mictoriam (*Latinē reddidi LL*):

**«Grammatica – mentula.** Ut explicetur Latinum illud *m e n t u l a*, in Periodico linguisticae comparativae (Ztschr. f. vgl. Sprachf. XVII p.431 sq.) mox dicitur de radice sanscritâ *manth*, mox adhibetur graecum μήδεα unâ cum Γανυμήδης, sed denique ambabus affinitatibus reiectis receditur ad radicem *men*, ex quâ exortum esse conicitur unâ ex parte *mentum*, alterâ ex parte exorta esse *minere eminere imminere prominere minae*, ita ut *mentula* significet - ‘aliquid eminens’. - Nonne hîc valent illa verba (Goetheana) ‘Quid pergis procul evagari? En bonum in propinquuo est!?’ Quid obstat quin bellulê immanentes Latinitati i.q. *mentula* habeamus pro contractione formae, q.e. \**mejentula*, et quae confirmatur optimâ analogiâ. Nonne functio mejendi certê accuratius quadrat ad rem quam notio eminendi vaga et incerta? Studii scientifici causâ liceat non verecundari, ne afferamus analogiam aptam: In regione Rhenanâ id quod Latinê dicitur *mentula*, solet appellari ‘Pißmännchen’ (virunculus minctorius) aut ‘Pissering’ (minctor).»<sup>42</sup>

*Ritschl* substantivum *mentulae* derivat a verbo *meiendi* (i.q. *mingendi*) temporali eo, quod eiusdem stirpi participii praesentis addit suffixum deminutivum: \**meje-nt- + ul-a* → **mentula**

*Ritschl* analogon semanticum affert dialecti Rhenanae haud male quadrans: In Rhenaniâ matres nutricesve puerorum genitalia solent appellare «*Pissering*» aut «*Pissmännchen*» («*pissen*» est mingere, «*Männchen*» est virunculus). Verbis Goetheanis allatis, q.s. «*Willst du immer weiter schweifen? Sieh, das Gute liegt so nah!*’?» affirmat ad tale verbum Romanis cottidianum explicandum non esse necessarium adhibere linguas peregrinas, sed sufficere vocabulum *meiendi* maximê cottidianum. Haec hactenus *Fridericus Vilelmus Ritschl*, philologus ingeniosus et insidiosus<sup>43</sup>. Eius etymon primo conspectu arridet, quia simplex et naturale est.

42 orig.: **FRIEDRICH WILHELM RITSCHL** (1806-1876): Kein Sprachvergleicher. Rheinisches Museum für Philologie, N.F., vol.24 (1869), pp.131-132 (2 pp.): **Grammatiches – mentula:** «Um das lateinische *m e n t u l a* zu erklären, wird in Ztschr. f. vgl. Sprachf. XVII p.431 f. bald von einer sanskritischen Wurzel *manth* gesprochen, bald das Griechische μήδεα nebst Γανυμήδης herbeigezogen, schließlich aber, nach Verwerfung beider Verwandtschaften, auf eine Wurzel *men* zurückgegangen, von der einerseits *mentum*, andererseits *minere eminere imminere prominere minae* ausgegangen sei, so daß *mentula* - ‘das Hervorragende’. - Sollte hier nicht das Wort am Platze sein ‘*Willst du immer weiter schweifen? Sieh, das Gute liegt so nah!*’? Wie denn, wenn wir hübsch beim Latein blieben und *mentula* für eine in bester Analogie stehende Contraction von *mejentula* nähmen, da die Function des *mejere* doch gewiß ganz anders individualisirt als *der vase Begriff des ‘Hervorragens’?* Das wissenschaftliche Interesse wird es gestatten, die Beibringung der treffenden Analogie nicht zu scheuen, vermöge deren es am Rhein landesüblicher Ausdruck ist, im Sinne des lateinischen *mentula* ‘Pißmännchen’ oder auch ‘*Pissering*’ zu sagen.»

43 **Ritschlius ingeniosus:** *Fridericus Nietzsche* discipulus *Ritschl*ii illustrissimus hymnicê laudat fautorem sui: »*Ihm (sc. Ritschl) verdanke ich die einzige wesentliche Wohlthat meines Lebens, meine Baseler Stellung als Professor der Philologie: Ich verdanke sie seiner Freisinnigkeit, seiner Scharfsichtigkeit und Hülfsbereitschaft für junge Menschen. In ihm starb der letzte große Philologe; er hinterläßt gegen 2000 Schüler, die sich nach ihm nennen, darunter etwa 30 Universitätsprofessoren.*« (Nietzsche an Cosima Wagner, 19. Dezember 1876, Nr. 581, KGB II 5.210.) - **Ritschlius insidiosus:** Qui fuit auctor atque instigator immisericors »*BELLI PHILOLOGORUM BONNENSIS*« (Bonner Philologenrieg, 1860-69).---

Tamen reicitur haec explicatio Ritschiana a magno *Iohanne Baptistâ Hofmann* paeclaro auctore lexici linguae Latinae etymologici. Idem provocat ad argumentum philologi Zeuss, qui ipse *mentulam* a *mentum* derivans putat originem nominis *mentulae*, qualem *Ritschlius* coniciat esse factam, esse minus probabilem quam illam quam ipse coniciat factam esse. Secundum *Ritschlium* enim ex formâ originali putativâ (\**meientula*) excidisse semiconsonantem j et syllabam contractam esse: (*Zeuss, Latinê reddidi, LL*):

»...huic terminationi (Ritschianae) primo contrarium est eam, quam ego proposui, esse simpliciorem, quia secundum eam neque est necessarium litteram -j- excidere neque syllabam contrahi, et secundo etymon, q.e. *mentum*, illi esse praferendum. Licet sit vis *mentulae* secundum derivationem *meiendi* significantior, tamen videtur notio eminendi sufficere ad denominandum *mentum* (quod procul dubio a radice *men* derivandum est) necnon *mentulam*, praesertim cum putemus hoc verbum originaliter fuisse iocosum...«<sup>44</sup>

Sed etiam alia exempla talis mutationis phoneticae haud gravis inveniuntur in litteris Latinis: e.g. **anteventulus**, -a, -um [\*ante-ven(ie)-nt-ul-us, p.pr.s.a., ante-venire] ThLL 2,161,72-74: **anteventulus**, -a, -um: APVL.met.9,30.<sup>45</sup>

44 originaliter: ZEUSS, KZ XIX 188sqq.: »...entgegen steht dieser endung erstens, dass die von mir vorgeschlagene einfacher ist, indem es bei ihr weder der annahme des ausfallen eines j, noch der einer contraction bedarf, und zweitens der vergleich mit *mentum*. Ist auch die bedeutung von *mentula* nach der ableitung von *meiere* eine significantere, so scheint doch, wie für *mentum*, welches sonder zweifel von der wurzel *men* abgeleitet ist, so auch für *mentula* der begriff des hervorragens hinreichend bezeichnend, zumal bei der annahme, dass dieses wort ursprünglich ein scherhafter ausdruck gewesen sei...«

45 **Ritschiana derivatio mentulae** recepta comprobatur ab his qui sequuntur: **Friedrich NIETZSCHE**, Vorlesungsaufzeichnungen (SS 1869-WS 1869/70) Anhang: Nachschriften von Vorlesungen Nietzsches, bearb. v. Fritz Bornmann und Mario Carpitella, Berlin 1992, p.228,30: «meio für migio (mingo) (meientula).» - **Valentin HINTNER**, Benennung der Körperteile in Tirol, bes. im Isel-Tale. Wien 1872, p.18, Nr.28: «zu Brunzerle (membrum virile): «von brunzen, ähnlich wie *mentula* aus *meientula* von *meiere* (Hwb. s.v.)...» - op.mem., p.8: «IX. Vorderseite des Körpers...Für morion haben wir: 21) buller, m....28) brunzerle, n...» - **Otto KELLER**, Zur lat. Sprachgeschichte, Lat. Etymologien, Leipzig 1893, p.181: «Auch von *mentula*, dem dichterischen Synonym von penis, ist bei Pelagonius natürlich keine Spur zu finden, ebenso wenig bei dem ziemlich älteren Scribonius; bei der unklaren Etymologie des Wortes bleibt es zweifelhaft, ob es ursprünglich ein Euphemismus sein sollte oder nicht. Man hat es schon als 'Bohrer' etymologisiert, wahrscheinlich steht es aber für *meientula* und ist also von *meiere* = *mingere* abgeleitet, somit durchaus kein Euphemismus.» - Fr. **WOLFF-UNTEREICHEN** (Übersetzer), Forberg, Antonii Panormitae Hermaphroditus, Apophoreta, deutsche Übersetzung, Leipzig 1908, Kommentar S.296. «Mentula (aus meientula) der Schnuller» **Max Leopold WAGNER**: «Auch das lat. *mentula* hat man ja als *mejentula* über *mejo* gedeutet, so Georges, und Zeuss (KZ XIX,188f.) Bedenken dagegen hat freilich Walde, Lat. Et. Wb. S.379, der *mentula* zu *eminere* zieht. Das spricht aber nicht gegen eine Beeinflussung von *mentula* durch *mingo*, also 'mincla', vgl. Etwa auch das von Georges angeführte am Rhein gebräuchliche 'Pissering', oder oberbayr. 'Prunzer, Prunzerl', die zeigen, dass man das männliche Glied, wahrscheinlich bes. in der Kindersprache, nach 'pissen' usw. Benennt.» - **Theodor HOPFNER**, Das Sexualleben der Griechen und Römer, 1938, p.102: «18) als Organ des Urinierens (*meiere*) hieß es ganz gewöhnlich «*mentula*», was aus «*meientula*...»

## 4. b) Obrussa thesis Ritschlianae

### a) Analogia semantica

Deminutiva quadrant ad sermonem matrum et nutricum infantulos curantium. Nomen membra virilis a primâ functione suâ derivatum: mentula a *meiendo*. Infantulus nondum novit functionem venereum; ceterum *meiere* non sôlum valet *urinam reddere*, sed etiam *semen emittere* (v. infra V).

### §) Theodisca nomina mentulae mictoria

In variis dialectis theodiscis talia nomina a matribus nutricibusve cum infantulis loquentibus solent adhiberi<sup>46</sup>.

### ¤) Romanica nomina mentulae mictoria



MAX LEOPOLD WAGNER  
(1880-1962)



WILHELM MEYER-LÜBKE  
(1861-1936)

46 cfr **Valentin HINTNER**, Benennung der Körperteile in Tirol, bes. Im Isel-Tale. Wien 1872, p.18, Nr.28: «zu Brunzerle (membrum virile): «von brunzen, ähnlich wie mentula aus meientula von meiere (Hwb. s.v.)...» op.mem., p.8: «IX. Vorderseite des Körpers...Für morion haben wir: 21) buller, m.....28) brunzerle, n...» - Praeter exempla Rhenana a Ritschl allata («Pissering» et «Pißmännchen») inveniuntur haec quae sequuntur: «Brünnle» (i.q. ‘puteolus’, in Suebiâ; «Kränchen» (a Kran, i.e. ‘epitonium aquaticum’), «Piller-/Puller-/Bullermann» (pillern/pullern/bullern i.q. ‘mingere’), *Pipimann* (*Pipi* i.q. ‘lotium’), «Brunnerle» (bavaricê brunzen i.q. ‘mingere’) e.m.al.

**ital.** **mìnchia** (*i.q. mentula*) – **minchióne** (*i.q. vir stultus, baburrus*)<sup>47</sup> **Vilelmus Meyer-Lübke** in Romanico Lexico suo Etymologico duo verba romanica affert ex *mentulâ* Latinâ derivata: italicum **minchia** et logudoresicum **minkra**.<sup>48</sup> Ut explicet, quomodo littera «*i*» anterior in «*minchia*» exorta sit ex «*e*» verbi Latini originalis, conicit hanc litteram intra dialectos italicas primo exortam esse in syllabâ non acutâ, ergo in «*minchione*»<sup>49</sup>. Sed **Maximilianus Leopoldus Wagner** linguae Sardae vir doctissimus hoc addubitat: quia dialecti italicae atque sardae abundant formis, quibus littera *i* postulanda sit, non esse verisimile hanc litteram romanicâ demum derivatione exortam esse, iam in *Latinitate vulgari* verbum **mingere** vim habuisse ad formam verbi *mentula*.<sup>50</sup> Wagner etiam commemorat etymon *mentulae* Ritschlianum necnon originem eius nutriciam sive puerilem<sup>51</sup>. Porro affert has formas sardas et italicas ex verbo *mentulae* exortas: **sard.** *minka* **log.** *minkra*, *minča*, *Camp.p.42*; **sass.** (*i.e. dialectus provinciae Sardiniae septentrionalis Sassari*) **minča**, etiam **cors(icum)** *minču*, **tosk.** *minchia* et ‘**numerosas formas dialectales**’. Denique commemorat tres formas neograecas, quae e *mentulâ* derivatae sunt: **μεντούλα** f., **μεντιλία** n.pl., **μέντλαρος** m., et indicat easdem esse voces, quibus homines pauperes contemptim appellantur a divitibus. In iisdem litterae – t-l – nondum sunt mutatae in – c-l -.

47 <https://www.treccani.it/vocabolario/minchia/> **mìnchia** s. f. [lat. *mentūla*]. – 1. merid., volg. Il membro virile. La parola è frequente anche come esclamazione (di meraviglia, ecc.), o in espressioni ingiuriose (cfr. *minchione*). 2. M. di re, nome pop. sicil. del pesce donzella (*Coris julis*), della famiglia labridi. ◆ Accr. **minchióne** m. (v.). – <https://www.treccani.it/vocabolario/minchione/> **minchióne** s. m. e agg. [accr. di *minchia*], pop. – 1. s. m. e agg. (f. -a). Persona sciocca, priva di furberia, eccessivamente semplice e credulona; è soprattutto usato come titolo di spregio e di rimprovero: *sei proprio un m.*; *è un bel m.*; *sei stata una gran m. a dargli retta*; *quando uno non riesce ad acciappare la fortuna è un m.*, *questo si sa* (Verga); *quanto sei m.!*; *che uomo m.!*; *come si fa a essere così minchioni?*

48 **Wilhelm Meyer-Lübke**, Romanisches etymologisches Wörterbuch, Heidelberg 1911, p.402, s.v. 5512. **mentula** «das männliche Glied»; 2.\***mintula nach mingere** ZRPh., Bhft.XII,12,12. Ital. **minchia**, log. *minkra*. - Abtg.: tosk. **menchero**, ital. **minchione**, neap. **angyone** «elender Mensch» - +ital. *coglione* 2036: misox. *končon* GstLItal. VIII,418. - Diez, Wb.385; Caix, Stud.411; ALLG. III,529.

49 **Meyer-Lübke**, Grd.I 2 §30, p.661: ‘dass sich das *i* zuerst an unbetonter Stelle eingefunden habe, also in *minchione*’.

50 **Max Leopold Wagner**, Lautlehre der südsardischen Mundarten, mit bes. Berücksichtigung der um den Gennargentu gesprochenen Varietäten. Halle 1907, p.12:«Das ist aber **bei der großen Verbreitung der i fordernenden Formen wenig wahrscheinlich**. **Das Wort scheint schon im Vgl. (Anm.: d.h. Vulgärlateinischen) durch mingere beeinflusst worden zu sein**. Diez, Wtb.S.385, der fragt: ‘Soll dies **mingo**, **-onis** sein?’ Auch das lat. *mentula* hat man ja als *mejentula* über *mejo* gedeutet, so Georges, und Zeuss (KZ XIX,188f.)»

51 **Wagner**, ibid.: «...Etwa auch das von Georges angeführte am Rhein gebräuchliche ‘*Pissering*’, oder oberbayr. ‘*Prunzer, Prunzerl*’, die zeigen, dass man das männliche Glied, wahrscheinlich bes. in der Kindersprache, nach ‘*pissen*’ usw. benennt. ...»

Ceterum *Tià Anguera* opinatur etiam in sermone *Catalanico* restare reliquias mentulae: Nos enim certiores fecit de locutione catalanâ quae est *fotre una bona mencla*, i.e verbatim: ‘*futuere bonam mentulam*’.<sup>52</sup>

### **1) Graecum nomen *mentulae mictorum***

*Ludovicus Döderlein* in lexico suo etymologiae Latinae indicat nomen mentulae esse deminutivum graeci verbi **μέζεα** sive **μήδεα**.<sup>53</sup> Licet haec derivatio directa excludenda sit, tamen verisimile est verba graecum et latinum inter se cognata esse, quia sint eiusdem stirpis indoeuropaeae. Nam etiam in sanctâ linguâ exstant nomina membra virilis ex eâdem stirpe conficta (v. proximum incisum 2 disquisitionis nostrae). Tamen *Hjalmar Frisk* in lexico suo linguae graecae etymologico non ausus est nomen graecum ex eâdem radice indoeuropaeâ derivare, quae valet *mingere*<sup>54</sup>.

### **2) Sanscrita nomina *mentulae mictoria***

In linguâ Sanscritâ duo nomina inveniuntur membra virilis, quae derivata sunt a verbo temporali **meh-**, **mehati**, quod valet «*meiere, mingere*»<sup>55</sup> et unâ cum iisdem verbis Latinis ex radice indoeuropaeâ cognatum est: मेहन mehana *n.* et मेण्ड्र meṇḍhra *m.*

---

52 Tià **Anguera**, La MENTULA llatina, ha deixat descendència catalana? in: <https://publicacions.iec.cat/repository/pdf/00000048/00000081.pdf>, p.251sq.: „Un cop vista –molt pel damunt– la principal descendència romànica de MENTULA, tornem ara cap a casa nostra. Al poble, potser en tindriem un hereu no reconegut en la forma substantiva *mencla*, que –com dèiem abans– gairebé sempre es troba fossilitzada dins de l’expressió lingüística centenària *fotre una bona mencla* [...]. De tota manera, la fossilització no treu gens de transparència semàntica al mot aquí objecte d’estudi.odem observar a la tan procaç expressió mascla *fotre una bona mencla* (a alguna dona objecte de desig carnal), sinònima – si fa o no fa– de la no menys vulgar *fotre un bon clau....*“

53 cfr Ludwig **Döderlein**, Handbuch der lateinischen Etymologie, Leipzig 1841, p.110: “mentula das männliche Glied, Deminutiv von **μέζεα, μήδεα**. --- cfr OLD 1125, s.v. **μῆδος** (B), ἔος, τό, Ep. Noun, only pl. **μήδεα, genitale**, Od.18,67; 87; 22,476; Androm. ap. Gal. I 4.41; **μῆδος φωτός** Od.6.129, cf. Call.fr.50 P.; v. **μέζεα**. (In late Prose, Ant.Lib.17.6) 2. **urine**, λαγόνων ἀπὸ μήδεα χεύῃ Opp. C(ynegetica).4.441

54 cfr Hjalmar **Frisk**, Griechisches Etymologisches Wörterbuch, Band II, 3.Auflage, Heidelberg 1991, p.222, s.v. 1. **μήδεα** (φωτός, Od., Androm. ap. Gal., Kall., auch Ant. Lib.), **μέζεα** (Hes. Op.512, Lyk.), **μέδεα** (Archil.138) n.pl. ‘männlicher (*sic!*) Scham’, bei Opp. (K.4,441) **übtr. ‘Harn’**; **μέζος** ‘αἰδοῖον H.; als Hinterglied in **εὐμέζεος** (cod. -μάξεως; leg. -μεζέος ?) εύφυης (cod. -εις; leg. -οῦ?) **τοῖς αἰδοίοις** H. - Das Verhältnis von **μήδεα** : **μέζεα** : **μέδεα** ist nicht aufgeklärt. Wackernagel Unter 227 A.1 sieht zögernd (nach Nauck) in μήδεα einen euphemistischen Ersatz für das derbe **μέζεα, μέδεα**; in **μέζεα** vermutet Schwyzer 208 mit Bechtel und Wilamowitz eine spirantische Aussprache des δ. -... **Wegen der Bedeutung ist die etymologische Beurteilung sehr heikel**. Schwyzer a.a.O. zieht es zu μήδομαι, indem er auf ahd. *gimaht f.* ‘facultas, genitalia’ hinweist. Es wäre dann als Euphemismus mit μήδεα ‘Ratschläge, Sorgen’ identisch. Ebenso (fragend) Spitzer BSL 40,47 mit P. Friedländer, allerdings mit lat. *mentula* (zu mens??) als einer sehr anfechtbaren Parallele...”



**MANFRED MAYRHOFER**  
(1926-2011)<sup>56</sup>

## β) Analogia morphologica: Deminutiva participii praesentis

Deminutiva quadrant ad sermonem matrum et nutricum infantulos curantium. Sed non tam bene nōta sunt deminutiva participiorum praesentis, quale ***Fridericus Ritschl*** contendit fuisse verbum, ex quo mentula derivanda sit (\**meient-ul-a*). Ritschl ipse nullum affert exempla, sed ecce - nos aliquot invēnimus:

### §) adulescentula, -ae f.

ThLL 01,799,78-82: adulescentulus, -a, um adi. deminutivum nominis adulescens. I PLAVT.Mil.634 benignitas...huius (senis) oppido adulescentula est (tules, -tule codd.) AMBR.in psalm.118,16,6 senilem...in adolescentula aetate gravitatem. HEGES.1,36,2 propter aetatem adulescentulam.

II apponitur nominibus personarum:

a masculinis

b femininis: PLAVT.Mil.789 meretricem adulescentulam. TER.Haut.602 reliquit filiam adulescentulam...

col.800,lin.50sqq.: adulescentula, -ae GLOSS. μεῖραξ. HIER.adv.Iov.1,31 ‘alma’ (hebr.) dicitur tam de coniugibus et viduis quam de virginibus: PLAVT.Epid.43 forma lepida et liberalem captivam adulescentulam de praeda mercatust. Rud.416

55 **Manfred Mayrhofer**, Etymologisches Wörterbuch des Altindoarischen, Bd.2, Heidelberg 1996, p.381 s.v.: ”**MEH harnen** (RV [áva mehanti])+; Gotō 245, Aor amikam, amikṣat (Br; Narten, Aor.192), Fut. mekṣyāmi (AV+); parimidha- *umpišt* (Su), mihe zum *Harnen* (RV 1,64,6; Schi, Wn 37); mehayº *harnen lassen*, zum *Harnen reizen* (RV (10,102,5), kl.; Jamison, -áya-117); unsicher RV ni-mikṣº, s.o. II 374, mit Lit.; **médhra- n. männliches Glied** (AV+), **méhana- n. dss.** (bzw. ‘**Harnröhre**’; RV [10,163,5], AV [+]), mehánā Adv. *reichlich strömend, in Menge* [RV; KEWA II 691], **mehánā-vant-** *in reichlicher Fülle* (RV), **a-méha** *Harnverhaltung ...Idg.* \*h3mei̯gh, gr. ὄμείχω, lat. meiō, mingō *harne*, mit ae. mígan, lit. myžti *harnen* usw.; Frisk II 385 (mit Lit.), Schrijver, Refl.24.”

56 Manfredus **Mayrhofer** Austriacus indologus et iranista et indogermanista optimē meritus brevi ante obitum amicis discipulisque pulchrum documentum vitae studiorumque suorum reliquit interretiale: <http://www.manfred-mayrhofer.at/>: „Mein Leben“ - „Bücher“ - „Video“ etc. Tolle, lege: miraberis.

TER.Andr.118 Haut.654. VARRO Non.550 propinquae adulescentulae..., proxumae...APVL.met.1,22.

**2) anteventulus**, -a, -um [\*ante-ven(ie-n)t-ul-us, p.prss.a., ante-venire]

ThLL 2,161,72-74: **anteventulus**, -a, -um: APVL.met.9,30 comae pleramque eius anteventulae congebant faciem. Flor.p.14 *Oud.* crines...anteventuli et propenduli. cfr OLD, p.140 s.v.: **anteuenio** ~uenire ~ueni ~uentum [ANTE + VENIO]

1 To get in front (of), be before, arrive first...2 To act before, forestall, anticipate 3 To be better than, surpass, get ahead of, b (of things) exceed.

**anteuentulus**~a ~um a. [ANTE + VENIO + VLVS] [of hair] Projecting in front, lying forward. Comae...pleramque eius anteuentulae congebant faciem APVL.Met.9.30; Fl.3.

**3) clientulus**, -ī m.

ThLL 3,1348,3-5 **clientula**,-ae: SIDON.epist.2,2,10 clientularum...sive nutricum. cfr Ps.ASCON.Verr.p.193, p.1346,80 cfr ThLL 3,1347,81 clientulus, i m. a cliens *deminutive*. 3,1343,28.

**4) dolentulus**, -a, -um

ThLL 05.1,1831,s.v. doleo, lin.29: deriv.: ...dolentulus? (v. Onomast.)

Lewis/Short, A Latin dictionary, Oxford 1879: dolentulus, a, um I. dim. adj. [dolens]: maritus, Ren. Inscr. Afric. 3844

cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14. ed., tom.I, Hannover 1976, col.2278: «dolentulus, a,um (Demin. v. Partiz. dolens). gar betrübt, Corp.inscr.Lat. 8,9969.»

**5) infantula**, -ae f.

ThLL 07.1, 1352,63sq. Lin.79sqq.: *a fem., i.q. puella nondum adulta:*

a incertae aetatis: APVL.med.10,28 habebat filiam parvulam...; huic infantulae eqs VEN.FORT.vita Radeg.37,86 β certae aetatis: HIER.in Ezech.16,4 p.127A statim ut nata fuerit infantula.

**6) valentulus**, a, um

cfr OLD p.2006, s.v.: «**valentulus** ~a ~um [VALENS + VLVS] sturdy, robust. Opsecro, ut valentulast! Paene exposivit cubito. PL.Cas.852.

Georges, op.mem., tom.II, col.3353: «valentulus,a,um (Demin. v. valens) stark, von Körperkraft, Plaut.Cas.852.»

Ergo sat multa analoga invēnimus, i.e. diminutiva participiorum praesentis, ut restituamus formam verbi originalem: \*me-ie-nt-ul-a

## γ) Genus mentulae grammaticum: ad quod substantivum est referendum?

Si hoc etymon Ritschlianum quadrat, substantivum *mentulae* derivatum est a deminutivo feminino participii praesentis verbi temporalis, q.e. *meio*, *meiere*. Ergo \**meientula* est forma adiectivi feminini elliptica: deest substantivum, ad quod hoc adiectivum originaliter fuit referendum. Oportet autem hoc substantivum sit feminini generis. Mirum! Organum virilitatis ipsum num est feminini generis? Certê, sunt exempla huiusmodi. E.g. aliud nomen membra virilis, quod etiam apud Catullum invenitur, est etiam feminini generis: *verpa*, -ae f.<sup>57</sup> Quodnam substantivum per ellipsis omissum cum formâ, q.e. \**meientula* coniungendum suppleamus? Propono substantivum quod sequitur: **mamilla**, -ae f. (*sensu translato*) = theod. *Düse*, *Ausflussrohr*; angl. *nozzle*, *spout*<sup>58</sup>

## δ) Verbum mentulae qualis sermonis sit, qualis \*sociolecti?

Estne obscaenum, i.e. poeseos lascivae, sermonis lenonum atque meretricum? Estne sacratum, sermonis religionis et sacerdotum? (*Martialis*, *Peruzzi*, *Breyer*) An est infantile, sermonis nutricum infantulos educantium? (cfr *Kraus*) Nonne usus variatur pro aetate? Nonne fieri potest, ut verbum, quod originaliter fuit simplex et cottidianum, postea habeatur pro obscaeno? - Quod dicit Cicero de verbo, q.e. *penis*: *Penis hodie in obscaenis est*. Sed ante aetatem Ciceronis *penis* valuerat *caudam bovinam*. «*Ānus*» sensu originali fuit i.q. *circus*, *ānulus*. - *Mentula* videtur fuisse originaliter **deminutivum**. Quod monet sermonis *infantilis* vel potius *sermonis nutricum*, qui educant pupillos sive infantulos<sup>59</sup>.

---

57 Ceterum unum ex nominibus lituanicis membra virilis, quod est *varpa*, est etiam feminini generis.

58 cfr ThLL 08,246,s.v. **mamilla**, 23-25: B *per similitudinem de s i n u t u b i, quo aqua emittitur*: VARRO rust.3,14,2 si...in eam fistulam -as inposueris tenues, quae eructent aquam. - cfr OLD 1070, s.v. **mamilla**, ~ae f. 1 A breast, nipple...2 A small **nozzle** or **spout** si...in eam (sc. fistulam) -as inposueris tenues, quae eructant aquam VAR.R.3.14.2 - cfr Georges, Ausführliches Lateinisch-Deutsches Handwörterbuch, 14.Auflage, 2.Band, Hannover 1976, Sp.788, s.v. **mamilla**: „...I) die Brustwarze, Brust...II) übtr. eine kleine Röhre, von denen mehrere an eine größere angesetzt wurden, so daß aus ihnen das Wasser nach verschiedenen Seiten hinlief, griech. παστός...“ - cfr ThLL 08,248,56-61: **mammātus**, -a, -um a *mamma*. i.q. *tuberibus in formam mammilarum ornatus* (cf. Blümner, *Technol. II* 29. *Privataltertümer* 108). VITR.7,4,2 *erectae -ae tegulae* (Schneider, *am(m)atae codd., hamatae coni*. Degering, *PhM* 57,1902,36). cf. PLIN.nat.35,159 excogitatis ad aquas tabulis, ad balineas -is ([elliptice, sc. *tegulis*] hamatis Baerb.) - cfr OLD 1070, s.v. **mammātus**, ~a, ~um: Furnished with protuberances or spouts. *erectae* ~ae (cj.) *tegulae*...ad parietem figantur VITR.7.4.2; dolis ad uina excogitatis, ad aquae tubulis, ad balineas ~is PLIN.nat.35,159.

59 cfr Spitzer, op.mem.: «Je me demande s'il ne faut pas tout simplement penser pour ce mot populaire (il se trouve dans Catulle et Martial; le -ula ressort à l'affectivité populaire)»

## IV. Conclusio:

MENTULAE etymon veri simillimum est *parva res meiens* (\*meie-ntula). Nomen videtur exortum esse in sermone matrum et nutricum, qui pupilli peniculum sive pipinnam appellaverunt nomine quod fuit:

<mamilla> \*me<ie>nt-ul-a

## V. COROLLARIUM: NOMEN EST OMEN

### Explicatio distichi *Mentulae moechantis Catulliani*

*Mentula moechatur. Moechatur mentula? Certe!*

*Hoc est quod dicunt: ipsa olera olla legit.*

CATULLUS carm.94

Hoc epigramma Catullianum mihi videtur a prioribus nimis aridê nimisque iejunê, a recentioribus nimis lascivê nimisque temerariê explicatum adhuc parum intellectum esse.

*Primo* dicam, quae res secundum philologorum opinionem communem in hōc disticho iam rectê intellectae sint: Nomen *Mentulae* hōc loco (sicut etiam in carminibus 105, 114, 115) memoratum est supernomen *Mamurrae*, asseclae C. Iulii Caesaris, quod concludere licet ex eius descriptione in carmine 29 factâ. *Secundo* patet proverbium in versu 2 allatum (*hoc est...*) adhiberi ad argumentum primae lineae explicandum aut efferendum. At quid hoc proverbium valeat, adhuc incertum est.

2022\* aMor VIrtVs MaIor In VIta nostrI pII. – Liebe ist die größere Tugend im Leben unseres Frommen. - cf. Joh 15,13 – Maximilian Maria Kolbe starb im Hungerbunker (14.08.1941 Auschwitz), um einen willkürlich ausgewählten Gefangenen, einen Familenvater, zu retten - Elise Rivet (Marie Élisabeth de l'Eucharistie, 19.01.1890 – 30.03.1945 im Vernichtungslager Ravensbrück) starb zur Rettung einer Mutter, einer willkürlich ausgewählten Gefangenen.

**Zum 15. August, dem Fest der Aufnahme Marias in den Himmel:**



**Fra Angelico, Krönung Mariens, 1432,  
Galleria degli Uffizi, Florenz**

2022\* aVe, aVe MarIa – aVe, aVe, MarIa – so klingt es heute unendlich oft im Himmel und auf der Erde

2022\* assVMpta et eXaLtata es aD CaeLoS: tV pIa fILia PatriS nostrI aeternI,  
 GenetrIX FILII, pVra sponsa SpIrItVs SanCtI! Trahe nos In eXILio patIentes post te!  
 Ita ora IbI pro nobIs totIs. - Aufgenommen bist du und erhoben in den Himmel, du  
 fromme Tochter unseres ewigen Vaters, du Mutter des Sohnes, du reine Braut des  
 Heiligen Geistes! Hole uns nach zu dir, die wir noch in der Verbannung leiden! So  
 bitte dort für uns alle!



„Notre Dame de la Belle-Verrière“, Kathedrale von Chartres, 12. Jh.

2022\* aVe, MarIA Mater nostrI IesV et nostra, ora pIe pro totIs nobIs tVIIs. – Sei  
 gegrüßt Maria, Mutter unseres Jesus und unsere Mutter, bitte gütig für uns alle, die  
 wir dir gehören!

2022\* aVe, VIrgo MarIA, Mater IesV, ora In patria pro nobIs totIs. – Sei gegrüßt,  
 Jungfrau Maria, Mutter Jesu, bitte im Himmel für uns alle!



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022\* aVe MarIs stELLa, VIrgo sInGLarIs, fILIa PatriIs aeternI, GenetrIX FILII,  
sponsa pVra SpIrItVs SanCtI ParaCLYtI! InfrInge nobIs VINCLa, nobIs reIs bona  
CVnCta posCe! ora pIe pro totIs nobIs! – Sei gegrüßt, du Meereststern, einzigartige  
Jungfrau: Tochter des ewigen Vaters, Mutter des Sohnes, reine Braut des Heiligen  
Geistes, des Beistandes! Zerbrich unsre Fesseln, erbitte uns Schuldbeladenen alles  
Gute! Bitte fromm für uns alle! – Unter Verwendung des mariäischen Hymnus „Ave  
maris stella“ -

2022\* MarIa tota pVLChra es et sIne Labe, hoDIE Coronata es regIna CaelestIs et  
terrae, ora pro nobIs totIs filIIs tVIIs. - Maria, du bist ganz schön und ohne Sünde,  
heute bist du zur Königin des Himmels und der Erde gekrönt, bitte für uns alle, deine  
Kinder!

2022\* Mater, De CoeLo eXsVrge, pIa es et sapIens VXor eLeCta ereSpIrItVs  
SanCtI et fILIa PatriIs nostrI aeternI et genetrIX IesV, pVra, fortIs, ora IbI pro totIs  
nobIs. – O Mutter, vom Himmel her steh auf, du bist die gütige und auserwählte  
Gattin des Heiligen Geistes, die Tochter unses ewigen Vaters und weise, unbefleckte,  
starke Mutter Jesu, bitte dort für uns alle. – *Die Zahlbuchstaben sind in ihrer ab- und  
aufsteigenden Ordnung herausgehoben.*

2022\* o Mater DIVInae proVIDentIae et pIetatIs, ora IbI InsIstenter pro totIs nobIs!  
– O gütige Mutter der göttlichen Vorsehung und Güte, bitte dort inständig für uns alle!

2022\* qVae est Ista qVae IbI asCenDIstI sicVt aVrora ConsVrgens? pVLChra Vt LVna, eLeCta Vt soL, VI fortIs et terrIBILIs Vt ILLa Ingens aCIes rIte et sapIenter orDInata? – Wer bist du, diejenige die da wie die Morgenröte sich erhebt, schön wie der Mond, auserwählt wie die Sonne, durch ihre Kraft stark und furchterregend wie jene berühmte, gewaltige und klug geordnete Schlachtreihe eines Heeres? - Nach der Benedictus-Antiphon des Festes Mariae Himmelfahrt

2022\* VIrgo genetrIX XrI FILII DeI nostrI et pIa regIna paCIIs orbIs et CaeLI VLtra Choros angeLICos, VeLVt DVCissa nobIs totIs peCCatorIbVs In terrIs rIte assIstat.  
– Die Jungfrau-Mutter Christi, des Sohnes unseres Gottes, die gütige Königin des Friedens des Erdkreises und des Himmels weit über den Chören der Engel, sie stehe uns Sündern allen auf Erden richtig wie eine Feldherrin bei

### Zum 20. August, dem **Fest des heiligen Bernhard von Clairvaux:**

2022\* eIa, praesIs MIhi, o fortIs et sapIens et pIetatIs, Vt prosIs In terrIs, non Vt IMperes. – Wohlan, stehe mir vor, o Starker, Weiser, Frommer, um auf Erden zum Nutzen zu sein, nicht um zu herrschen. - Bernhard von Clairvaux, heiliger Abt und Kirchenlehrer, 1090 – 20.8.1153: de consid. 2,6

### Zum 22. August, dem **Fest Maria Königin:**



2022\* MarIa, VIrgo, Mater, regIna pIa VnIVersI nostri.– Maria, Jungfrau, Mutter, fromme Königin unseres Alls.



**Deichsler-Altar, Foto Hildegard Schuhmann**

2022\* Mater MarIa regIna totIVs VnIVersI oret pro totIs nobIs. - Mutter Maria, die Königin des gesamten Weltalls, möge für uns alle bitten.-



**Maria Königin – nach der Regina Bavariae**

Kopie in der Kapelle der Spiritaner  
in Cruzeiro do Sul

Zum 24. August, dem **Fest des heiligen Apostels Bartholomäus:**

2022\* BarthoLoMaeVs NathaneL aIt: IesVs rabbI, tV es fILIVs DeI, tV es reX IsraelL – et IesVs eI: eCCe tV es Vere IsraeLIta, tIbI InIqVItas non Inest – Bartholomäus Nathanael sagt: „Jesus, Meister, du bist der Sohn Gottes, du bist der König von Israel“. – Und Jesus zu ihm: „Seht, wirklich, du bist ein Israelit, in dir gibt es kein Falsch!“ - Jo 1,47; Mk 3,16 – Das überraschende „vere Israelita“ steht so im Originaltext der zitierten Stelle!



**Michelangelo in der Cappella Sistina:**  
Bartholomäus

Zum 27. August, dem **Fest der heiligen Monika**:

2022\* sanCta MonICa, fVIstI In VerItate DVpLeX parens sanCtI AVgVstInI atqVe fratrls ALYpII - LaVs pIa sIt tIbI et paX! – Heilige Monika, du warst wirklich in doppelter Weise Mutter des heiligen Augustinus und des Bruder Alypius – Frommes Lob sei dir und Friede! – Heilige Monika, du warst in doppelter Weise Mutter des heiligen Augustinus und des Bruders Alypius – Lob sei dir und Friede! – Das Chronogramm spielt auf die Tatsache an, dass Monika durch ihre vielen Tränen ihren Sohn Augustinus zur Wiedergeburt in der Taufe und auf den Weg eines heiligen Bischofs geführt hat; dadurch wurde sie, wie Augustinus in seinen „Confessiones“ schreibt, zum zweiten Mal Mutter, was ihr selbst dann den ersehnten Seelenfrieden brachte. – Monika, 331 – 387 – *Diese Vorstellung der Wiedergeburt, auf die sich die der doppelten Mutterschaft des Chronogramms stützt, hat schon den Pharisäer Nikodemus befremdet (vgl. Joh 3,4)!*


Zum 28. August, dem **Fest des heiligen Augustinus**:

2022\* AVgVstInVs sapiens et fortIs nobIs aIt: VobIsCVM fIDEfLIs, pro VobIs eXIsto epIsCopVs In aVCtorItate nostri Iesu Christi. - Augustinus, der Weise und Starkmütige, sagt uns: Mit euch bin ich Gläubiger, für euch stehe ich da als Bischof in der Vollmacht unseres Jesu Christi.



**Kirchenväteraltar (um 1480): Michael Pacher (1435-1498)** - Zirbelholz, 212 x 100 cm - Erworben 1812 als Säkularisationsgut aus Neustift bei Brixen - München, Pinakothek: Inv. Nr. 2597

2022\* AVgVstInVs egregIVs atqVe pIVs sapIentIae et fortIs epIsCopVs eCCLeSiae Hippo nensIs eXhortans aIt totIs nobIs pIIIs: aMa fortIter et faC qVoD VIIs. - Augustinus, der herausragende, fromme, weise und starkmütige Bischof der Kirche von Hippo sagt mahnend allen uns Frommen: Liebe herzlich, und tue, was du willst. – Dieses „Liebe“ muss natürlich richtig verstanden werden – es meint nach 1 Kor 13,7 das Bemühen, nie etwas Unziemliches, sondern aus Liebe immer das Beste in Bezug auf Gott, den Nächsten und sich selbst tun zu wollen! –



**SANCTUS AUGUSTINUS**

pinxit Sandro Botticelli a.1480

2022\* eIa, eIa, VIDenteM ego Ipse VIDere sIne fIne IbI In patrIa rItE opto. – Ja, wirklich, ich wünsche, in eigener Person den dort im Vaterland richtig ohne Ende zu sehen, der mich immer sieht. – Augustinus

2022\* MYsterIVM IbI fInIs potentIae InIqVItatIs! – O, Geheimnis des dortigen Endes der Macht der Bosheit.

2022\* sententIa AVgVstInI sapIentIs: CreDo In CorpVs IhesV XrI qVoD est eCClesIa Vna sanCta CathoLICa apostoLICa, opVs TrInItatIs totIVs In nostrIs terrIs et In hIstorIa praesentI. – Ein Satz des weisen Augustinus <lautet>: Ich glaube an den Leib Jesu Christi; er ist die eine, heilige, katholische und apostolische Kirche, das Werk der gesamten Dreifaltigkeit auf unserer Erde und in der gegenwärtigen Geschichte.

2022\* sententIa AVgVstInI theoLogI sapIentIs et pII: feCIstI nos aD te et sIne reqVIe erIt Cor DoneC reqVIesCat In te, DeVs qVI es fons VItae pVrItatIs et totIVs VerItatIs. – Ein Ausspruch des weisen und frommen Theologen Augustinus lautet: Du hast uns auf Dich hin geschaffen, und ohne Ruhe wird das Herz sein, bis es in dir ruht, o Gott, der du die Quelle des Lebens, der Reinheit und aller Wahrheit bist. – vgl. Augustinus, Confessiones XIII,1,1

2022\* taLIIs est qVIsqVe qVaLIIs eIVs DILECTIo anIMI, aIt nobIs totIs AVgVstInVs epIsCopVs, philosopVs sapIentIae atqVe Ingens theoLogVs. – Ein jeder ist das, was seine Vorliebe in seiner Seele ist, sagt uns allen der Bischof, der weise Philosoph und außerordentliche Theologe Augustinus.

2022\* tangere CorDe, hoC est CreDere, DIXIt totIs nobIs AVgVstInVs philosopVs atqVe theoLogVs LVX VerItatIs et pIaetatIs et sapIentIae. – Mit dem Herzen berühren, das heißt glauben, sagte uns allen Augustinus, der als Philosoph und Theologe ein Licht der Wahrheit, der Frömmigkeit und der Weisheit war.

## **PIA HAEC CHRONOGRAMMATA**

### **CONFECIT**

### **PATER HERBERTUS DOUTEIL**

### **BRASILIENSIS**

## **ECHUS VOCES ET EPISTULAE**

**CHRISTIANUS LAES**

**PRAESES ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE**

d.24. m.Iul. a.2022

**Nicolaus Leo Latinus Christiano Praesidi** Academiae Latinitati fovendae sal.pl.dic.  
s.v.b.e.e.v.

Ut vales, Praeses honorabilis? Utinam in aestibus aestivis locum nactus sis ubi tibi arrideant umbra iucunda et frigus amabile. Spero te heri bene accepisse Epistulam Leoninam 264, quae continet multa et varia. Utinam insint etiam quae tibi placeant. Bene memini acroasin quam nuper fecisti in emissione zoomianâ de *Alafrido Bartoli*. Quidam iuvenis Italus, qui anno praeterito defendit suam dissertationem doctoralem de *Octavio Ferrario* (1607-1682) scriptam et hōc tempore stipendum adeptus in Universitate Bononiensi investigat carmina neolatina *Iosephi Albini* et *Adulphi Gandiglio*, rogit omni quā par est observantiā, num sibi liceat accipere textum acroaseos tuae Bartolianae. Eandemne iam publicasti? Et ubi? Permittas quaeso huic iuveni, qui est - quantum mihi licet ex litteris suis eleganter scriptis concludere - optimē doctus et eruditus, ut accipiat textum acroaseos tuae. - Denique eā causā, quam modo memoravi, commendo, ut idem iuvenis quam maturrimē cooptetur in Academiam nostram; nam pro certo habeo eum esse cooptatione verē dignum. Quid tibi videtur? Potestne hoc fieri? - Quid de *Carolo Lyvens* cooperatore tuo Mamuchiensi? Rectenē valet? Iam diutius nihil mihi scripsit. - Haec habui, quae tibi in praesenti dicerem; mox, si volueris certē plura. - Pancraticē vale, et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.16. m.Aug. a.2022

**Nicolaus Leo Latinus Christiano Praesidi ALF sal.pl.dic.**

Ut vales, optime Praeses? Utinam degas aestivos dies iucundos! Miror quod nondum respondisti epistolio d.24. m.Iul. ad te misso. Num propter difficultatem technicam non accepisti? *Carolus Lituanus* mihi interim respondit. Inspicias, care Christiane, appendicem huius epistolii mei: Invenies fructum quendam studiorum lexicographiae meorum aestivum. Qui fructus maximē naturalis est et expers omnis tristitiae: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. ... utinam tibi placeat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.17. m.Aug. a.2022 h.08:42

**Christianus optimo sodali Leoni impigerrimo salutem plurimam!**

Excusatum me habeas, mi Nicolae, quod nondum respondi epistolium tuum diei 24 Iulii. Nondum, sed intra nonnullos menses, divulgabitur symbola mea, quae est haec: *Rosa Melitensis* (1908-1910): a Latin Journal and the Maltese Episode in the Life of

*Alfredo Bartoli (1872-1954), in C. Serracino (ed.), Ardet Amans: Essays in Honour of Horatio Caesar Roger Vella (Santa Venera, Midsea Books, 2022) p. 149-165 [forthcoming]. Si ille iuvenis (certe nunc nondum potest inter sodales numerari) alias meas symbolas Bartolianas habere vult, roga eum, quaeso, ut ad me scribat. -*

De mentula etymologica quid dicam? Ego ut historicus morum tales investigationes plurimi aestimo, sicuti et quae conscripsisti de fragantiis. Et Adams erat optimus collega, qui iuxta Mamucium vivebat. Mihi pergratum erat cum illo cenare -- vir singularis, doctissimus. - Perge ergo via tua, quam semper laudabo, Medullitus, **Christianus tuus**

## NAEVIUS SARTORIUS

d.23. m.Iul.2022 h.22:57

**Care Nicolae,**

gratias magnas tibi ago pro epistula tua novissima. Maximo cum gaudio legi de puellis Bondianis. Fortasse scis me diligere nonnulla (non omnia!) cinematata *Iacobi Bondii*. Scilicet non ignoro *Terentium Young*, scaenothetam primum seriei. Qui creavit illam figuram cinematographicam adhuc praeclaram et in toto orbe notam. Imprimis diligo lepôrem Bondianum - lepôrem, quem Angli appellant „dry“. Exemplum tibi dabo (grammatice aptum, quia etiam in lingua Anglicâ sunt accusativi cum infinitivo). Itaque haec verba mihi aptissima ad in linguam Latinam convertenda esse videntur – propter syntaxin analogam. Species hanc scaenam *Chrysodactyli*:<sup>1</sup>

<https://www.youtube.com/watch?v=wzwPI1zJ9K0>

Bondius in vincula datus: „Vis me loqui?“ (scil. de mandato secreto)


*Chrysodactylus*: „Nolo, Bondi – sed volo te mori.“

Vale semper Naevius

PS Scisne, quae verba Latina insigni Bondiano insint? „*Orbis non sufficit*.“

<https://de-de.facebook.com/JamesBond007/videos/james-bonds-family-motto-is-orbis-non-sufficit-or/314956445833018/>

0:05 / 0:13 *James Bond's family motto*



<sup>1</sup> \**Chrysodactylus*, -ī m., i.e. *Goldfinger* (iste furcifer exsecatissimus, qui impetum fecit in *Castellum Knoxianum*, i.e. *chrysophylacium* Americae omnium maximum, necnon cutem inauravit puellarum pulcherrimarum), cuius personam in cinematate gerit *Gert Fröbe*, histrio Saxo oblivione indelebilis!) Latinē aut potius Graecanicē mihi sic appellandus esse videtur.

**Nicolaus Naevio s.**

Gaudeo plurimum quod invēni materiam Latinē describendam, quā tu eximiē delecteris. Perplacent mihi scutum et sententiola Bondii heraldica. Et scilicet mihi placere verba Bondii Laconica. Quae imponam proximae Epistulae Leoninae. Utinam degas diem Dominicum quam iucundissimē! **Medullitus Nicolaus.**

d.25.m.Iul.a.2022 h.14:34

**Nicolaus Naevio sal.pl.**

Care amice, novistine opus didacticum *Iohannis Örberg*, magni Dani didactologi? Qui didicit linguam Latinam methodo naturali, i.e. eo ferē modo, quo mater docet infantem (sine ullā linguā aliā). Quid tibi videtur de hac methodo Latinē docendi? Si volueris, plures partes huius libri prolixī tibi mittam. Vale semper, N.

d.25.m.Iul.a.2022 h.14:34

**Naevius Nicolao sal. pl. dicit.**

gratias tibi ago. Adhuc non novi illud opus. Mihi methodus naturalis iucunda esse videtur; certe discipuli iuvenes magis diligunt eam quam methodum usitatam, quia naturalis initio facilior est; etiam puto discipulos mox Latine (recte) loqui posse et hoc modo ad studium incitari. Sed mea opinione etiam necesse est eis grammaticam methodo usitata docere, quia structuram linguae comprehendere et perspicere debent. Fortasse rectum est methodum naturalem cum methodo usitata in docendo coniungere; sed dubito an hoc facile sit. Nescio. Quid sentis de eo, magister peritissime? Vale semper N

d.03. m.Aug. a.2022 h.17:15

**Nicolaus Naevio suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

In appendice, mi care Sartori, invenies epistulam *Caroli Lyvens* Lituani Academicī physici et humanistae, quam mihi scripsit de rebus Ucrainianis. Ídem aliquatenus indignatur de iis quae ego de Ucrainiā scripsi in Epistulis Leoninis. Legas tu ipse, quaeso, et iudica subtilitate atque mentis acumine tibi iurisconsulto propriis. Scribas mihi quidquid tibi in buccam venerit. Medullitus te salutat **Nicolaus.**

d.03. m.Aug. a.2022 h.18:55

**Naevius Nicolao suo sal.pl.**

Gratias tibi ago. Quod attinet ad epistulam Caroli: bene comprehendo eum Putinum Russiamque critice videre et tecum/nobiscum acriter dissentire de rebus Ucrainis. Nisi fallor, Lituanus est. Historia eius patriae, ut putare et dicere audeo, aliquid momenti habēre videtur ad opinionem eius. Fortasse non vult videre etiam Americam (USA) bella non legitima, contemptibilia gessisse et adhuc gerere in orbe toto. - Doleo quod nunc tempus me deficit; consobrinus mei filii nos visitat; curare debeo pueros. Soceri mei – prope Tremoniam habitantes – celerabunt die Saturni annum quinquagesimum coniugalem („goldene Hochzeit“; aptam conversionem nescio). Nunc nostrum est eis parare dona et carmina. Scribam tibi de bello serius –

Theodisce. - Ceterum, oportet filium meum post ferias linguam Graecam discere. Emi librum quod appellatur „Dialogos I/II“. Mihi placet; nonnulla capita perlegi intellegens graecitatem meam magnam partem perditam esse. Multa comprehendeo, sed etiam multa requirere debo. Magnam copiam verborum Graecorum oblitus sum, cum discipulus bonus fuerim. Semper praetuli, adhuc praefero linguam Latinam clariorem. Quaeso, o amice, commendes mihi librum bonum de grammatica Graeca! Mihi adhuc est „Bornemann-Risch“ – liber numquam valde a me dilectus. Gratias tibi agit et **medullitus te salutat Naevius.**

d.03. m.Aug.2022 h.20:45

**Nicolaus Naevio s.**

Gratias tibi ago plurimas quod tam promptē respondisti, quamquam deditus es officiis explendis. Quidni audes iubilaeum illud familiare appellare "*nuptias aureas*"? - Quod attinet ad libros grammaticos Graecos filio tuo commendandos, in praesenti afferam tria opera quae sequuntur:

- 1) Langenscheidts Kurzgrammatik Altgriechisch
- 2) ARS GRAECA Grammatik. Griechische Sprachlehre. Ferdinand Schöningh. Paderborn. (Nescio, num adhuc édatur. Nisi editur, quaeras in palaeobibliopolio.)
- 3) Liber didacticus Graecam linguam discendi mihi longē aliis praferendus est hic qui sequitur: Maurice Balme/ Gilbert Lawall: ATHENAZE. An introduction to ancient Greek. Book I. Book II. Second Edition New York/ Oxford 2003. (Haec editio melior est quam sequentes. Quaeras eam in aliquo palaeobibliopolio).

Haec raptim, mox, si volueris, plura. **Medullitus te salutat Nicolaus.**

d.03. m.Aug.2022 h.21:41

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, gratias magnas tibi ago denuo! Scilicet mihi in mentem venit me verbum Theodiscum hoc modo convertere posse, sed non volui. Causa est. Quam explanabo: Oxoniae mihi collega fuit (ne valde a me dilectus; crassisimus fuit; non politus fuit. Et terriloquus fuit: Is solebat convertere locutiones Theodiscas in Anglicam verbum pro verbo!

EG: 1. „Ich drücke die Daumen. Conversio eius terribilis: „I keep my thumbs pressed.“ Rectum fuisset: „I keep my fingers crossed.“ - 2. „Die Welt ist ein Dorf“. Eius verba pessima: "The world is a village". Si solum tacuisset! Rectum est: "It's a small world."

Etiam excuses mendum meum „Emi librum qui appellatur „Dialogos I/II“.

**Vale semper! VN**

d.15. m.Aug.a.2022 h.13:02

**Leo Latinus Naevio Sartorio s.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit \*pandyselectria? Velim probare, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! N.

d.15. m.Aug.a.2022 h.13:26

**Care Nicolae,**

gratias tibi ago; heri stomachum laesi, eo tempore aegroto. Vix possum acute cogitare de neologismo tuo. Profecto, verbum iucundum finxisti. Haec mihi in mentem venit: 1. pan = *all* 2. dys = *Negation, Dysfunktion, "Fehl-*" 3. electria = *Elektrizität* ergeben "*All-Fehl-Elektrizität*" = *flächendeckender Blackout*. Vale semper VN

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:34

**Gratias summas, care Naevi!!!** Valdē gaudeo te intellexisse verbum a me hodie partum. Ceterum periculum pandyselectriae est valdē magnum (multo maius et urgentius quam pseudoproblema catastrophae climaticae!!) Novistine colloquia illa cum Domino *Jungnischke*, qui est vir Germaniae omnium *pandyselectriae* peritissimus?

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:38

**Naevius Nicolao s.**

Rectē, hoc periculum urgentissimum est. Stomachus mihi dolet, colloquia a te commendata serius spectabo. Vale semper Naevius.

d.16.m.Aug.a.2022 h.18:46

**Nicolaus Naevio suo s.**

Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAЕ imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitiae: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.16.m.Aug.a.2022 h.22:11

**Naevius Nicolao s.**

Care Nicolae, gratias summas tibi ago. Profecto, tuae theses etymologicae mihi – amatori philologiae – valde placent. Semper etymologia mihi disciplina maxime iucunda esse videbatur; eo magis quia nonnumquam – audeo dicere: iterum iterumque – arbitror iurisprudentiam valde insuavem esse. Video multas explanationes variae verisimilitudinis esse spectantes ad originem verbi „mentulae“. Ceterum, legens tua verba doctissima cognovi in philologia disciplinam linguas inter se comparandi fuisse et, ut puto, adhuc esse. Fortasse scis analogam disciplinam etiam in iurisprudentia esse: iura inter se comparandi. Qua Theodisce appellatur „*Rechtsvergleichung*“ (et Anglice „*comparative law*“). Quaeso, dicas mihi, cur Ritschl, fautor rectorque praclarus illius Nietzsche (philosophus valde a me dilectus) contempserit eam. Nam etiam sum quidam contemptor analogae disciplinae iuridicae.

Qua imprimis mihi videtur esse ars solum academica parvi utilitatis. Gratias tibi denuo agit et medullitus salutat

**Naevius**

## **ANSGARIUS OSLOENSIS**

d.23 Iul. a.2022 h.23:10

**Nicolaus Ansgario suo Osloensi taciturno sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Nimis diu, care Ansgari, nullum verbum a te scriptum accepi. Ut vales? Accepistine Epistulas Leoninas? EL 264 hodie tibi misi. Eidem insunt materiae multae et variae. Suspenso animo exspecto, quid tu sensurus et scripturus sis de symbolis meis. Hodie accepi mirum nuntium de casu quodam iuridico Norvegiensi. Agitur enim de muliere, quae accusatur sermonis odiosi, quia dixit virum quendam non esse posse matrem. Nunc eidem mulieri dicitur imminere custodia trium annorum (vide et audi *Tucker Carlson* cum illâ muliere colloquentem). Quid tibi videtur de isto casu? Nonne res congruit cum argumento fabulae *Orwelliana*, ubi *Winstonus* tam diu torquetur, usque dum realia neget et irrealia sedulê et feliciter affirmet et neminem iam amet nisi *Magnum Fratrem*? Estne Norvegia iam funditus et penitus *Orwelliana*? Germania quoque iam pridem est in eâdem viâ, sed Norvegia videtur etiam magis progressa esse... Haec hactenus brevissimê, mox fortasse plura.

Medullitus,

**Nicolaus Leo Latinus**

<https://www.youtube.com/watch?v=mopMFfMlwvE>

Norwegian feminist faces jail time in Norway for 'stating the obvious'

d.24 Iul. a.2022 h.11:28

**Ansgarius Nicolao salutem**

Me excusatum habeas, quod nimis pigre ad Epistulas Leoninas rescripsi. Nam ne ingenio vitioso meo indulgerem, quippe qui cochleae in morem me contrahere et abscondere soleam, ut homines pariter ac lucem solis fugiam, iter in Hispaniam feci. Non ut in acta cum mulierculis spumigenis ebriosus, more Verrino, turpiter iacerem, sed ut musea, palatia, ecclesias inspicerem. Tribus igitur septimanis Valentiam, Legionem (*León sive Llión*), Caesaraugusta (*Zaragoza*) perlustravi. Sane, tempus aestivum fervore solis exaestuavit. Attamen caloris vis me non graviter afficit, ut nullo labore thesauris pinacothecarum et ecclesiarum aevi baroci oculos pascere possem. Imprimis Museum Pratense iterum magna cum voluptate inspexi. Olim cum Matriiti vitam agerem, ad animum relaxandum, nimiis laboribus contritum, ad hoc museum praeclarissimum hebdomadatim, die dominica, me recepi. Etiamis incola urbium atque homunculus umbraticus, semper maximus fautor agricolarum fui. Nam homo non tantum in litteris vivet, sed in omnibus frugibus, quas terra effert. Moderatores autem europaei, ut videtur, obliiti sunt, summam rerum potestatem, vel superanitatem, non tantum ex rebus financialibus vero etiam e copia victualium pendere. Quapropter magna cum animi attentione perlegi symbolas de re rustica, vel potius politica, apud Batavos. Cum Ansgario Lafontaine, homuncione sat perito rerum publicarum, vehementer concordo. Europaei cum Russos sanctionibus

premunt, non nisi Vassintoniensibus favent, ut nationibus Europae maximum detrimentum faciant. Hoc cursim et leviter, ceterum tibi exopto otium et tranquillitatem animi, ut Orbem Pictum latinum ad effectum ducere possis. Christina Ellingsen, feministria norvegica, non sine superbia dixit viros in non nullis rebus a mulieribus differre. Qua de causa biocolytae eam, ut cavillatricem feminarum, diligenter multis horis interrogaverunt. Attamen, ut puto, Christinam illam, re vera minime delirantem, in carcerem non mandaturi sunt.

Fac hilari sis animo! **Ansgarius**

d.24 Iul. a.2022 h.12:43

**Nicolaus Ansgario s.**

Iam pridem animadvertis, care Ansgari, te Senecae suasionem secutum *fugere turbam* ideoque musea tranquilla potius petere quam litora populosa; profecto gustus minimē vulgaris decet te profanum volgus arcentem. Ars figurativa imprimis cordi tibi cum sit, helluari soles in talibus sacrariis et gazophylaciis picturarum quale est illud Pratense. Gratulor tibi de studiorum tuorum elegantiā atque humanitate. Gaudeo tecum commercium habere litterarum, cum videam te non esse aliquem ex pluribus, sed Erasmianum, id est *hominem pro se*; maximē gaudeo te diligenter symbolas Leoninas perlegere et me certiore facere, quidquid de iisdem in buccam tibi venerit. Pancraticē vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:04

**Leo Latinus Ansgario suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria*? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! N.

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:04

**Ansgarius Nicolao s.**

Salvus sis Nicolae, forsitan hoc vocabulum significet id quod sermone vernaculo dicitur "*global energy crisis*"? Certe vox non invenusta, nam dirum sonat. Sed potest fieri ut obtrectatorum latratibus pateat, ut verbum nimis doctum. Nihilo secius placet, nam circumlocutio, quae saepe adhibetur ad res hodiernas significandas, feliciter evitatur. **Fac valeas!**

d.15 m.Aug. a.2022 h.20:44

**Nicolaus Ansgario suo s.**

Gratias pro responso prompto. Velim verbo "pan-dys-electria" hodie conficto denominare defectum electricitatis per magnam distantiam longumque tempus, qui anglicē dicitur "*(general) blackout*". Scilicet te propter professionem tuam huius rei optimē peritum esse. Sonatne neologismus meus dirē? Optimē! Hoc quadrat! Est enim - ut scis - nomen rei dirissimae! - Quidam amicus scripsit hoc verbum novatum

esse "sesquipedalem" - i.e. nimis longum. Tu sentis idem esse nimis dirum nimisque doctum. - Brevissima sunt verba Sinica et Sinocoreanica - ideoque saepe difficultia intellectu et facilia confusu. Quo breviora verba habet lingua, eo magis est polysemica. Ceterum etiam lingua anglica propter verborum brevitatem laborat ex polysemiā. In verbis novandis generaliter valet: Si quae conflictio nova alicui displicet, proponat meliorem; sed si melior tibi non in mentem incidit, ne personam gerat *Sixti Beckmesser*. Ceterum semper respicienda est etiam possibilitas derivationum. E.g. adiectivum facile fingitur: *\*pandyselectricus*". - Ut alterum exemplum afferam: Quidam vituperavit verbum "*harma, -atis n.*", quod adhibeo ad currūs belli cataphractos denominandos. Idem putat nimis facile fieri posse, ut confundatur cum plurali tantum Latino, q.e. "*arma, -orum n.pl.*" Sed hoc verbum graecum iam invenitur apud Homerum, ubi iam valet currum bellicum. Et secundum exemplum neograecum perutile licet derivare adiectiva "*harmaticus, -a,-um*" et "*antiharmaticus, -a, -um*", e.g. "*granatarii harmatici*" (theod. "*Panzergrenadiere*") et "*manuballista \*antiharmatica*" (i.q. angl. *bazooka*, theod. *Panzerfaust*) et multae aliae coniunctiones nominum militarium. In talibus nominibus fingendis si utor nomine ipso iam bipartito aut tripartito), q.e. "*currus/carrus/carruca bellic/us/a cataphractus/a*" et sim., quonam modo configam derivationes et combinationes (quae sunt absolutē necessariae, nisi etiam specialia nomina moderna evitare - aut - ut *Aloisius Miraglia* - prorsus omnibus verbis novatis carere volumus? Haec hactenus de verbis "*sesquipedalibus*".---Effectu *pandyselectriae*, quae procul dubio est calamitas summa (et - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, et fit verisimilior) - quod tu quia es officialis Osloensis energiae dispensator (vel similis vir officiosus), certissimē iam scis - post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernā societate nostrā ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliā electricā). Feliciter nobis accidet, si noverimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytæ neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, quia benzinum non potest accipi ex columnis stationum benziniarum antliis electricis instructarum). - Mox fient direptiones et homicidia... Habebimus illum statum generis humani originalem, quem describit *Thomas Hobbes* in "*Leviathan*" suo. Et "*homo homini erit lupus*" (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur darwinismus socialis saevissimus. - Quid tibi videtur? Qualis nunc est status Norvegiae et Suetiae energeticus? - Nonne multo melior est quam Germaniae (Prasinorum insaniā atque stultitiā interiturae)? - Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. - Quia dispensator energiae es, pro certo habeo te rem melius perspicere quam homines a numeris machinisque alienos. - Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minime credulus postero! - Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.16 m.Aug. a.2022 h.08:40

**Nicolao salutem Ansgarius,**

Ut recte mones, sane timendum est, ne pandyselectria fiat, et omnes, qui terras occidentales incolimus, in miseriam praeceps demur, si rerum moderatores europaei pergent politicis prasinis favere. Vis atomica denuo augenda, industria petrolearia non nisi gradatim minuenda, ut paulatim fontes energiae ambitui, vel circumiectis naturae, innocuos adhibere possimus. Germani, aut potius nonnulli homines politici germanici, sane delirant, qui vim atomicam omnino sustulerint, ut gasum subterraneum magno pretio, praesertim de Russia, invehant. Attamen fortasse mox, p[re]a incertis fortunae vicibus, gas russicum non licebit importare! Neminem fugit, in Norvegia magnam copiam gasi et petrolei esse, quam Norvegi quaestuosi in Europam educant. Apud Norvegos etiam vis hydraulica maximi momenti est. Verumtamen his annis, magis magisque electricitas, quam vi aquae defluentis generatur, ad Europaeos educitur, ut iam in Norvegia penuria quaedam electricitatis sit. Quapropter pretium huius mercis rarioris in die augetur, ut multi cives et societates quaestuosae in difficultatibus oeconomicis versentur. Nam parum pluit superiore hieme et primo vere, ut stagna tantum ad sexaginta partes centesimas repleta sint. Res autem publica norvegica praeter consuetudinem, vectigalibus affluentibus, dives facta est. Apud Suetos res sane bene non se habet. In Suetia, non aliter quam in Germania, saeviunt Prasini, et vis atomica minime adhibetur. Vis autem aeolica, cui favent et diurnarii et politici non magnam copiam energiae et nisi subsultim subministrat. Igitur, in Europa politica energetica de integro renovanda est. Sed primo nobis opus sunt novi homines politici. Fac valeas, si per haec tempora licet! **Ansgarius.**

## **JOANNES CAROLUS MEDIOLANENSIS**

d.04. m.Iul. a.2022 h.10:35

**Joannes Carolus Nicolao suo salutem!**

Cogitanti mihi qui finis futurus sit belli, venit in mentem quaestio, quam ego et Claudio Piga amicus latinissimus ante nonnullos annos attigimus, dum Poggii Bracciolini dialogum de Avaritia interpretamur. Teste enim Poggio alii aliter de avaritia sentiunt, quam hi vitium horrendum, illi laudabilem industriae fomitem existimant. - Nunc autem mecum quaero utrum in bello Ucrainico praevelitura sit vis an avaritia. Si vis et odium praevaluerint, ut adhuc fieri videmus, acerbius in dies vel in annos bellum exardescet; sin autem avaritia, iidem ipsi, quorum interfuit fratres contra fratres armare - feneratores inquam armorumque fabricatores ac mercatores - modo computabunt quantum sibi lucri, in restituendis iis reficiendisque quae solo sunt aequata pyrobolis, derivari possit. - Ubi vero ratione sumptuum ducta viderint majorem pecuniam sibi extruendo quam destruendo partum iri, statim finem bello imponent ingentesque summas in dirutarum urbium restitutione collocabunt.

O temporum morumque perversitatem! Ut vis populis indigne illata propulsetur, oportet in avaritia omnem spem collocare! **Vale multum!**

d.24. m.Iul. a.2022 h.14:04

**Nicolaus Joanni Carolo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.**

Habeas me excusat, sodalis *cepophilotate*, quod vocabulorum Orbis Picti Oceano immersus tam séro tibi respondeo. Quod attinet ad causas belli Ucrainici, interim ferē nihil scriptum est nisi innumera unilateralia et stupidissimē antirussica. Putinus a globalistarum scriptorculis gerulifigulis absurdē daemonizatur, quasi sit alter *Hitler* aut Satanus ipse, quamquam nihil aliud facit ac Americani iam multo saepius fecerunt: studet limites imperii sui defendere contra alterum imperialistam competitorem istiusque gerulifigulos natonianos. Legisti et audivisti verba *Mearsheimeri*; legas, quaeso, etiam ea quae scripsit *Oscar Lafontaine* (versionem meam Latinam invenis in EL 264 - iamne accepisti?), qui affert verba illius *Jeffrey Sachs* oeconomi Americani. Invenies etiam alia nonnulla (sed perpaucā), ex quibus apparet istius belli veros et proprios auctores esse Americanos globalistas (*Sachs* appellat eos "Neocons"), qui etiam responsales sunt pro multis bellis iniustis, quibus Americani ius gentium multimodis fregerunt, sed semper simulaverunt se tutari democratiam.

Ut revertar ad quaestionem tui: Subest isti bello nihil nisi cupiditas lucri necnon hegemoniae accipiendae vel retinendae. Maximam et atrocissimam iniuriam scilicet patiatur plebecula Ucrainiana. Ucrainii - sicut etiam - eheu - nos ipsi - nihil sunt nisi vasalli et vicarii Americanorum (i.e. globalistarum). At *Selenski* eiusque *confurciferi* (ut ita dicam), *Asowiani* etc., minimē sunt heroes libertatis (ridiculum!), sed ipsi tyranni tyrannorum gerulifiguli, qui ipsi torqueant concives suos et crudeliter supprimant sine ullo respectu iurum humanorum. Absurdum est dicere eosdem pugnare pro nostrâ libertate nostrisque bonis moralibus (si reverâ sic esset, quam pravi et ignavi essemus, quin ipsi pugnam fugientes alios milites mercennarios faceremus!) Talia verba propagandae ubiquitariae lapsantia et tritissima et mendacissima quoisque tandem credentur ab ovibus somniculosis? Quandonam Europa erit verē libera et neutralis nullique tyranno obnoxia? Timeo ne hoc fiat Kalendis Graecis. Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere et litterulas scribere Latinissimas. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.15. m.Aug. a.2022 h.17:57

**Leo Latinus Joanni Carolo suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria*? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intelligibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! **Nicolaus Leo Latinus**

d.17. m.Aug. a.2022 h.08:25

**Joannes Carolus Nicolao s.**

Vix domum regresso ab Ansedonia (antiquitus Cosa, cuius manent mirae reliquiae) placet mihi ad te primum rescribere. Primo obtutu quid sibi velit *pandyselectria* non

intellego. Huc accedit quod vocabula hybrida vitanda, quantum quidem possumus, esse puto. Nec vero, subtilius re considerata lexicoque graeco inspecto, cui rei sit referenda particula *pandy* inveni, cujus radix sanscritica sonare videtur. Agiturne de re electronica? Vidistin quomodo Graeci qui nunc sunt eam appellant? Suadere enim solebat Carolus Egger abbas, neograece haud ignarus, ut ad kathareousan configureremus in re technica, nisi forte essent in promptu aliae, et eae statim ad captum accommodatae, versiones (cfr autocinetum). Haec est sententia mea, qualis est cumque, sed philologus non sum: tuum erit, industriose amice, e vado enatare... Vale multum!

d.17. m.Aug. a.2022 h.11:37

### **Nicolaus Joanni Carolo suo taciturno sal.pl.**

Gratias pro responso tuo ago magnas. Diu nihil a te acceperam scriptum, quod valdē doleo! In proverbio theodisco est "*Willst du etwas gelten, mach dich selten*", i.e. Quo rarius appares, eo maioris aestimaris. Num ista est ratio tuae raritatis epistularis? - Verbo nudius tertius conficto, q.e. *pan-dys-electria*, velim denominare i.q BLACKOUT, i.e. defectus electricitatis per magnam distantiam longumque tempus. Tali calamitate summā (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, fit verisimilior) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernā societate nostrā ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliā electricā). Feliciter accidet, si invenerimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytæ neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, nam in stationibus benzinariis non iam potest accipi benzini: columnae infusoriae sunt antliis electricis instructae!). Mox fient direptiones et homicidia... Morientur homines acervatim et crudelissimē... Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit Thomas Hobbes in "*Leviathan*" suo. Et "*homo homini erit lupus*" (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. Quid tibi videtur? Propter Prasinorum insaniam fanaticam atque stultitiam crassissimam Germaniae nunc imminet *pandyselectria* magis quam umquam antea. Sed nequaquam volui, amice carissime, Cassandrae more interitum Troiae vaticinari. ADHUC FLAGRAT FLAMMULA SPEI.

Quia scio te Horatio similem esse *Epicuri de grege porcum* - ne anima tua obscuretur diris vaticiniis meis - mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis

aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.17. m.Aug. a.2022 h.18:06

**Joannes Carolus Nicolao poligraphotato salutem!**

Maxime, Nicolae mi, probavi vestrum adagium, quod mihi fabulam in mentem revocavit, quae a Joanne Moretti nostrarum anno saeculi superioris duo de octogesimo est edita famamque sibi in annos comparavit. - Index fabulae est *Ecce Bombo*, qua mores sermonesque adolescentium tam belle depinguntur, ut non pauca in proverbium abierint. Joannes Moretti ipse inducitur multa satagens, plura dubitans, plurima acutissime dicens. Sed habeto tibi verba ab eo prolata, dum dubitat utrum coetui amicorum interesse sibi conveniat necne: - *Mi si nota di più se vengo e me ne sto in disparte o se non vengo per niente...* - Hoc est : *Clariusne animadvertis, si venero ac seorsus ab aliis manebo, an si omnino afuero?* - Hoc autem apophthegma ne mihi referas, quaequo, siquid scribendi feci intercapelinis. Non enim mihi vacavit varias ob causas, quas longum est numerare. - Vicetiae -scito autem- ludis scaenicis a Schola Humanistica indictis interfui, tum Ansedoniae apud consobrinam sum belle demoratus. - De *pandyselectria* quod sentio, aperiam; vox nimis longe petita mihi videtur, nimis artificiose composita, neque facilis intellectu. - Siquidem apud veteres fuit mos lumina obscurare focosque extinguere, fortasse inde aliquid sumere possimus. Itali, antequam nihil americanum a se alienum esse sentirent, magis psittaci vel simiae, quam servi facti, vocabulo *oscuramento*, id est *oscuratio*, improvisam fluenti electrici intermissionem appellabant. - Nunc autem vocabulum, olim omnibus perspicuum per syncdochēn, exolevit omnino atque in ejus locum successit americanum *blackout*, fere denigratio, quod, si Freudiane cogitamus, ipsorum odia erga stirpes afras adumbrare videtur...

Video vero te summo nisu periphrases vitare ac res singulas singulis verbis significare velle. Laudo inceptum, sed, monente Eggerio, interdum callidis juncturis uti convenit, dum ne modum excedamus. - Vides, excusso Thesauro, num adhiberi possit (*luminum*) *oscuratio*, *obtenebratio*, (*improvisa*) *electridis intercisio*, vel aliquid simile. - Haec hactenus. Sed prius quam epistolam concludam, hortari te velim, ne omnia in pejus ruere putas: nam, ut spem aliquam alas, monet te non modo ratio et doctrina, qua certo polles, verum etiam indoles ipsa tua, non minus seria, quam faceta, non minus callida, quam hilaris. - Probe memini cuius esses furfuris homo, adolescentulus quum esses... ergo, oro te, esto magis Epicureus, quam Stoicus, magis Lucullus, quam Cato... Vale multum!

d.17. m.Aug. a.2022 h.23:22

**Joannes Carolus Nicolao salutem!**

**Tanta voluptate legens de mentula sum perfusus, ut, si paedico essem, arrigeret mihi in perpetuum.... Ut soles, doctissime materiam atque uberrime tractasti, mi Nicolae, sed Epicuri asseclam agnovi, qui ista non spernit ac quidem lepore quodam aspergit. Vide cur in te magis Epicurum laudem quam Stoicum... J.C.**

d.18. m.Aug. a.2022 h.09:52

### **Joannes Carolus Nicolao s.**

Commentarium de mentula ad Claudium Piga, amicum latinissimum, misi. Operae pretium est tibi significare quid ille rescripsert:

"πανδυσηλεκτρία" vocabulum non invenitur in lingua neograeca, quantum quidem investigare valui; ad significandam universam fluxus electrici intermissionem, circuitum hoc verborum adhibent, "γενική διακοπή (του ηλεκτρικού) ρεύματος". *Placuit doctissima dissertatio de mentula. Ut quodam die tibi dixi, in Sardinia usitatissima fuit haec ratio exclamandi, si quid mirum occurreret improviso, "Minch' e molenti!", scilicet "O mentulam asininam!"*.

De improvisa fluenti electrici intermissione hoc mihi venit in mentem: electridistitium. Ecquid putas?

d.18. m.Aug. a.2022 h.11:23

### **Nicolaus Joanni Carolo suo s.**

Summas gratias pro nomine electrotechnico neograeco ab amico tuo allato. Nomen quod ipse proponis "electri(di)stition" (fortasse potius "electrostasis" aut "electrostitium - ut "solstitium") quadrat ad defectum electricitatis solitum, qualis saepius fit et quantitate et tempore limitatis. Sed i.q. "*blackout*" appellatur, est summa calamitas (usque nunc numquam facta ideoque animo non satis accuratē fingi potest) - hac de causā oportet verbum extraordinarium: "*pan-dys-electria*" primā syllabā redolet "*pan-demiam*", i.e. calamitatem, quae spectat ad magnam regionem et ad omnes partes vitae. Nam tali defectu technico non solum systemata electrica deficiunt, sed omnia cetera systemata technica, quibus vita nostra moderna servatur. Ut nostrā aetate terra destruatur, non sunt bombae necessariae - una vel maximē duae septimanae, quibus omnis electricitas deerit - sufficient! - et iamiam erimus in aetate palaeolithicā - aut saltim mediaevali.

Valdē vehementerque gaudeo vobis placere studia mea etymologica. Ceterum placet exclamatio Sardorum, quae spectat ad *mentulam asininam*.

Claudium amicum tuum grato animo salvere iubeo. Valete quam optimē et fruamini aestatis delectamentis, antequam nobis imminebunt frigora nebulosa.

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

## **RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS AERIOPOLITANUS**

d.24. m.Iul. a.2022 h.00:02

### **Care Leo Latine,**

profecturus sum hodie ad breves ferias hiemales capiendas. Cum regrediar, libenter EPISTULAM LEONINAM legam. Tuus, **Radulfus**.

d.24. m.Iul. a.2022 h.00:05

### **Care Radulfe,**

proficiscere, mi care sodalis, pede faustissimo! Utinam sint tibi feriae iucundissimae et saluberrimae. Vale semper, **Leo Latinus**.

d.15. m.Aug. a.2022 h.8:08

### **Leo Latinus Radulfo suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria?* Velim experiri, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! N.

d.15. m.Aug. a.2022 h.16:43

### **Doctissime Leo Latine,**

Ad has radices intellectus meus me movet: πᾶς, δυς praefixum, ἥλεκτρον, quod hispanice dicitur ámbar. Puto igitur tuum novum vocabulum hodiernam parentiam energeticam, et χάεος et electricitatis, considerare. Si non recte discrevi, mentem meam saltem exercitavi. **Tuus Radulfus - p.s.** Nobis etiam parentia electrica est, mea sententia ob nostros politicos/latrones. Eos odi et non amo. Pestis sunt hodiernorum atque aeternorum saeculorum.

d.15 m.Aug. a.2022 h.12:32

### **Nicolaus Radulfo s.**

Radulfe carissime, gratulor tibi: rem acu tetigisti! Hoc verbum hodie finxi, ut Latinē denominarem defectum electricitatis per magnam distantiam longumque tempus (qui anglicē dicitur "blackout"). Tali calamitate summā (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, et fit verisimilior) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine electricitate in modernā societate nostrā ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliā electricā). Feliciter accidet, si neverimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytae neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, quia benzinum non potest accipi ex columnis stationum benzinariarum antliis electricis instructarum). - Mox fient direptiones et homicidia... Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit Thomas Hobbes in "Leviathan" suo. Et *homo homini erit lupus* (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. - Quid tibi videtur? Estne energia Argentinis securior quam Germanis (Prasinorum insaniā atque stultitiā interituris)? - Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. - Vale semper et fruere gaudiis aestatis. - Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus.**

d.15. m.Aug. d.2022 h.19:16

### **Leo Latinus Radulfo suo sal.pl.**

Gratias magnas, care amice, pro optatis tuis benevolis, quibus novam spem concipiam. Gaudeo te scriptis meis verba nova addiscere. Ceterum mox tibi mittam

novissimam Epistulam Leoninam, quae prolixam continebit disquisitionem etymologicam. Disquisivi originem verbi Latini notissimi, quae usque nunc nondum erat persuasibiliter explicata. Suspenso animo exspecto, quoniam modo tu iudicaturus sis de disquisitione meâ. Utrum argumenta mea comprobaturus sis an reiecturus. Vale semper pancraticê, haec brevissime, mox, si volueris, multo plura. Medullitus te salutat **Leo Latinus.**

d.16 m.Aug. a.2022 h.00:02

**Care docteque Leo Latine,**

semper multa, te docente, disco. Ex. gr. vocabula *siphonarius*, *epitonium* aliaque. Perplexus sum de rerum statu quem tam optime scribis: velit Deus ut omnis Europa a penuria energetica sit aliena. Non scientificus sum sed oecologista non mihi placent. Quoad nationem meam, debitibus plenam, hiems prope finitur et, adveniente vere, χάεος necessitas minuetur. Delirus mundus hodiernus est, sine dubio. Attamen tu, mea familia, amici familiaresque me, quasi septuagenarium, in difficulti hoc saeclo me comitant. Semper te laudat **Radulfus**

d.16. m.Aug. d.2022 h.23:25

**Radulfus Nicolao s.**

Ah, amice. Non sum tanti ut iudex fiam disquisitionis tuae! Epistulam maneo. De energética crisi, valde populo Germanico confido: tenaces et ter laboriosi estis. Difficultates omnes superabitis. Valeas, **Radulfus**

d.16 m.Aug. a.2022 h.00:05

**Leo Radulfo suo s.**

Gratias pro bonâ spe. Sed ignoras Prasinorum catervam pravissimam! Mitto tibi disquisitionem. Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAE imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximê naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, queso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis - sed nescio quae tempestas nunc sit in tuâ regione. Carpe diem minimê credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus.**

## **GUGLIELMUS MONETTI**

d.26. m.Maii. a.2022 h.22:00

**Gulielmus Nicolao sal. pl.**

Gratias tibi ago pro responsu tuo pariter prompto, nec minus eleganti aut Latino. Quoniam rogas enixe, ut aliquid referam de rebus meis, tibi statim morem geram. Primum de studiis academicis. Anno praeterito defendi dissertationem doctoralem, sum propterea Philosophiae doctor, ut more anglosaxonico adhuc dicimus,

renuntiatus (Ph. D.). Hoc Patavii sive Paduae, ubi universitas est antiqua et florens, qua in universitate etiam lauream sum adeptus utramque in philologia classica, trium annorum priorem, alteram magistralis quae dicitur (quae biennio constat). Postea doctoratus triennalis est insecutus. Nunc temporis, quamquam Patavium incolo, munere fungor in Universitate Bononiensi, Bononiae scilicet sita, haud procul hinc, ubi bursam sive stipendium nanctus sum, quo alias res investigem. Est Bononiensis antiquissima universitas cum Italiae, tum totius Europae; Patavina seu Paduana autem altera a Bononiensi (seu post Bononiensem) in Italiae antiquissimis. Quid de doctoratu, rogas? Inter doctoratum inquisivi in operibus Latinis (seu neolatinis) Octavii Ferrarii. Octavius Ferrarius (natus a. 1607, mortuus 1682), Mediolanensis, discipulus Federici Borromaei antistitis tunc temporis clarissimi, venit Patavium anno 1634, ut munere fungeretur professoris in hoc Studio (ita olim haec Universitas vocitabatur, quippe quae duabus reapse Universitatibus constaret, utpote Artistarum, qui medicinam, philosophiam, theologiam colebant, et Legistarum, qui ius; utraque autem Universitas Studio sive Gymnasio Patavino comprehendebatur). Professus est ille Humanitatem, id est Litteras Latinas et Graecas, et Antiquitatis scientiam. Nunc oblivione sepultus plerumque neglegitur, nisi quod Helgus Nikitinski, opere suo aureo q. i. *Sergius sive de eloquentia latina saecc. XVII et XVIII*, eum inter potiores duxit Latinitatis scriptores qui utroque saeculo floruerunt. Hanc igitur ansam arripui, studia mea occipi. Reliquit enim Ferrarius acroases seu orationes Latinas plurimas lectu dignissimas, panegyricas orationes binas, alteram in Christinam Suecorum reginam dictam, alteram in Ludovicum XIV Gallorum regem, quibus est omnibus magnam famam ubique in Europa consecutus, et praesertim in Germania, ubi eius opera saepius sunt edita saeculo XVIII. Haec omnia aliaque de eo (nam multa etiam manu scripta opera reliquit), ita investiganda suscepi, ut aliquid saltem de eo constet apud doctos homines nostrae aetatis (neque enim in omnibus fuse examinandis haesi, quod tempus mihi datum longe excessisset). De bursa sive stipendio Bononiensi, brevi nunc accipe. Agitur de investigandis poematibus seu carminibus neolatinis quae pepigerunt duo illustres viri Bononienses praeteriti saeculi, Iosephus Albini (qui etiam rector universitatis illius fuit), et Adulphus Gandiglio, studiosus syntaxeos Latinae, et Latinorum Ioannis Pascolii carminum. Uterque certamen Hoeufftianum, a Batavis indictum, participavit, et praemia inde rettulit.

Venio nunc ad respondendum questionibus tuis. Christianum Laes, nomine mihi notum, de Alafrido Bartoli egisse omnino nesciebam. Quid dixit? Etiamne locutus est de Urlone a Barco? Extatne oratio eius alicubi in rete? Academia Latinitati Fovendae scio quid sit, nec tamen, eheu, eius sum particeps. Neque si vellem fieri particeps, reapse possem. Etenim, quantum scio, cooptantur participes, qui debeant nominari ab aliis sodalibus, non ipsi sponte eligunt ut fiant membra eius Academiae. Marcum Cristini non novi; immo, hoc uno novi, quod librum eius *Bellum Mundanum* inscriptum anno praeterito emi et legi. Est enim brevis, sed refertissimus nominibus et rebus scitu dignis. Hebdomade autem praeterito, quum cervisiam potabam in hortis publicis Patavinis cum aliquot amicis, casu comperi duobus ex istis Marcum esse notum, quippe qui studeat historiae mediaevali in quadam universitate, nescio qua.

Carolum Livenium ut epistulis adirem, suasit mihi iampridem Alexius Slednikov amicus, quem rogaveram, sciretne aliquid de actis periodicis *Alma Roma* et *Vox Urbis* inscriptis; sed nondum hoc feci, nam subvenientibus negotiis coactus sum investigationes de utroque illo periodico differre ad aliud tempus. Neque igitur Livenium novi. At quid de te, deque inceptis tuis? Quid de consilio edendi periodicum Latinum maiorem? Mihi, ut verum fatear, Epistulae Leoninae multum placent, nec velim eas intermitti. *Fragrantiam* tuam, quando otium est et mens sinit, legere pergo, et valde placet: in iudicio, quod iampridem tibi aperui, igitur persto.

**Vale!**

d.24. m.Iul. a.2022 h.17:54

**Nicolaus Guglielmo suo sal. pl. s.v.b.e.e.v.**

Litteris tuis perhumaniter et uberrimē et eleganter d.26. m.Maii scriptis quod nondum respondi, Guilelme carissime, me piget pudet paenitet. Habeas me excusatum Oceano vocabulorum Orbis Picti Hexaglotti immersum! Verbis tuis acceptis doctior evasi; nam de *Octavio Ferrario*, ut verum confitear, antea nihil sciveram. Multum iuvat commercium litterarum inter homines studia humaniora amplexos faciendum. Eo quod urbes Patavii et Bononiae et Mediolani commemorasti, me monuisti *Hieronymi Cardani* polyhistoris ingeniosissimi (1501-1576), de cuius vitā in colloquio Latino duorum semestrium olim (a.1981, ni fallor, in Universitate Saravipontanā) disputavi. Cardanus haud eleganter scribit, sed quo est ingenio mirabiliter multiplici, se dedit permultis rebus miris et exoticis tractandis et minimē verecundatur, ne ipsa vitia sua foeda describat horrendā cum sinceritate, immo interdum helluatur in iisdem describendis. Itaque ratione psychologicā eius autobiography est lectu dignissima. Scripsit permulta alia, ferē de omnibus scientiis suae aetatis; novistine eius "*Encomium Neronis*"?

Ex *Christiano Laes*, qui interim factus est Praeses Academiae Latinitati Fovendae (ALF) ipse quaeras, num et ubi divulgaverit acroasin suam **de Alafrido Bartoli** factam, et num insit acroasi eius aliquid de *Urlone a Barco*? Eius inscriptio electronica est haec: ---- *Marcus Cristini* habet inscriptionem electronicam: ---- Ne obliviscar *Carolum Lyvens* Lituanum physicum et humanistam, qui Mamuchii (Manchester) sub aegide Christiani Laes operatur: ---- Quaeris etiam, quid de periodo novo condendo? Respondeo hoc inceptum dilatum esse, sed non ablatum. His mensibus Orbe Picto componendo occupatissimus cum sim, non vaco periodo novo condendo. Ceterum tempora, eheu, non ita apta sunt ad res sumptuosas faciendas. Sed in praesenti maximē aestimo me adhuc gratis et sine ullā obligatione edere posse Epistulas Leoninas tibique etiam mittere.

Haec hactenus, Guilelme carissime, mox, si volueris, libenter plura tibi narrabo.

Pancraticē vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.17. m.Aug. a.2022 h.22:

**Nicolaus Leo Latinus Guglielmo suo nimis taciturno** sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit quid agitur, optime Guglielmo? Valde desidero responsum tuum! Nam - ni fallor - nondum respondisti epistulae d.24.m.Iul. scriptae (v. infra). An ars electronica me fefellit? - Interim Prof. Christianus Laes praeses Academiae Latinitati Fovendae mihi haec scripsit: - "*intra nonnullos menses, divulgabitur symbola mea, quae est haec: Rosa Melitensis (1908-1910): a Latin Journal and the Maltese Episode in the Life of Alfredo Bartoli (1872-1954), in C. Serracino (ed.), Ardet Amans: Essays in Honour of Horatio Caesar Roger Vella (Santa Venera, Midsea Books, 2022) p. 149-165 [forthcoming]. Si ille iuvenis (certe nunc nondum potest inter sodales numerari) alias meas symbolas Bartolianas habere vult, roga eum, quaeso, ut ad me scribat.* -" - Quid nunc agis? Esne tibi bona occasiuncula corpus animumque recreandi? - Ne anima tua obscuretur hōc tempore difficiili, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. - Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.18. m.Aug. a.2022 h.13:09

**Guglielmus Nicolao s. p. d.**

Minime te fefellit electronica tua epistularum thecula, eiusque computandi ratio, optime Leo: ignosce quaeso taciturnitati partim occupati partim feriati hominis. Quo enim tempore epistulam tuam accepi, eo totus eram in commentatiuncula conscribenda neolatinula, quam coram recitarem in conventu Lovaniensi Societatis Internationalis Studiis Neolatinis Provehendis, qui est a die 31° Iulii ad 5um Augusti celebratus. Lovanium raeda seu autocinetu petivi, conventui interfui. Omnia ibi praecclare, omnia academice. Tum aliquot dies iter suscepi partim in Belgica partim in Germania tua meridiana voluptatis ergo. Nunc altero die domi redux iterum me accingo ad labores intermissos suscipiendum. Erat igitur in animo tuae epistulae serius ociosus respondere, sed novo meum propositum antevenisti epistolio, docto hercule, et grato! Miror eruditionem strenuam, qua una possis patriae reducem philologiam adserere, admiror iocandi venam, quam seriis adspergis. Dissertationem tuam his diebus lentius attentiusque perlegam; de mentulā mente praeditā est tamen quod cogitemus. Fit interdum ex mentulā menta, et ex mente mentula (exstatne hoc mentis deminutivum? Thesaurum non inspexi), ut mentula mentā, nec mente mentula muniatur. - Quod Christiano Laes de studio meo Bartoliano scripseris tibi grates habeo. Optime vale! **Guglielmus Monetti**.

d.18. m.Aug. a.2022 h.15:32

**Nicolaus Guglielmo suo s.**

Elasto animo accepi nuntium tuum: iam miratus eram te per tantum temporis tacere. Nunc scio te bene valere multisque acroasibus Latinis auditis colloquiisque factis

etiam doctorem et eruditorem esse. Tibi gratulor et intimo ex corde exopto, ut opus tuum academicum quam optime eveniat. Scribas mox *Christiano Laes*; disquisitiunculâ mea etymologicâ perfectâ facias me certorem de quibuscumque rebus, quae tibi in buccam pervenerint. Vale pancratice et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

## **IOHANNES PETRUS KNIJFF BATAVUS**

d.23. m.Iul. a.2022 h.21:51

### **Nicolaus Iohanni Petro s.**

Quid fit, quid agitur, Monacensis musice Maupassantiane? Iamne materias *Nucarii* (*Cees Nooteboom*) acceptas perlegisti? Quid de fabulâ Nucarii compatriotae tui tibi videtur? Sapitne? An est insipida? Estne digna, quae toga induatur? Hodie tibi etiam misi Epistulam Leoninam novissimam. Iamne accepisti, iamne inspexisti? Sit tibi dies Dominicus recreabilis! Medullitus **Nicolaus Leo Latinus**.

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:12

### **Leo Latinus Iohanni Petro suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria*? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intelligibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! **Nicolaus**.

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:43

### **Iohannes Leoni s.**

Salvus sis, Leo omnium doctissime omniaque verbis renovande! Pudet confiteri vocabulum illud – pulcherrimum sane neque dubito quin sit ad quandam rem mihi adhuc ignotam indicandam utilissimum – a te nuperrime cusum sic per se a memet quidem intellegi non posse, quanquam suspicor partem primam ad “totum” vel “omnem” attinere, alteram certo certius ad “duo” vel “bina” vel sim., ultimam verum partem fortasse ad “(s)elegendum” nescioquid. De parte postrema autem non prorsus certus sum (teque iam ignorantiam meam irridere vereor!). Nonne velles contextum quandam vocabulo tuo novissimo offerre? Nam fieri potest ut sic etiam a me paulo facilius intellegi possit. Valeto athletice, novator o maxime!

d.15. m.Aug. a.2022 h.14:18

### **Nicolaus Iohanni s.**

Care Iohannes Petre, quare aqua tibi haeret? Verbum facillimum intellectu: *pan-dys-electriae* est i.q. BLACKOUT. Ceterum quid de fabula novella NUCARII compatriotae tui? Iamne perlegisti? Placetne? **LL**

d.15. m.Aug. a.2022 h.14:18

**Iohannes Leoni s.**

Leo mi carissime! Confiteor ursulum parvi – ut aiunt – cerebri esse famulum tuum, tamen non possum quin de vocabulo pulcre invento imo ex corde tibi sapienti congratulor. - Libellum Batavice editum (versionem ergo primitivam) in reti emere conatus sum, quod tamen non tam facile evenit. Ergo coeptum desii, donec fortasse aliquando quodam modo facilius exemplar accipiam. - Mirum autem, quod iudicibus Batavis fabula illa minus placuisse videtur quam Germanis, qui quidem ni fallor et auctorem et fabulam valde laudare consueverunt. Valeto!

d.15. m.Aug. a.2022 h.14:27

**Leo Iohanni s.**

Recte quidem, ipse *Marcellus Reich-Ranicki*, qui fuit PAPA LITTERATURAE, Nucarium eximiē laudavit!!! Ceterum mox tibi mittam novissimam Epistulam Leoninam, cui inest disquisitio etymologia verbi Latini notissimi, cuius origo nondum erat explicata. Suspenso animo exspecto, quomodo tu iudicaturus sis de disquisitione meā laboriosissimā. NLL

d.15. m.Aug. a.2022 h.16:15

**Iohannes Leoni s.**

*Epistulam* ergo tuam avide exspectabo, mi Leo. Ceterum iam plus semel vidi varios Nucari nostri libros in tramine (scilicet apud me in Bavaria Superiori) lectictari. Mirum est ut scriptores vel etiam musici nonnihil exteris in terris plus quam a suis ipsorum civibus laudari solent. Fortasse hoc de Nucario dici potest, verum etiam Rivulus ille, qui maximus omnium musicorum haud falso a multis habetur, a Batavis plus quam a suis laudari consuevisse mihi videtur. Valeto!

d.15. m.Aug. a.2022 h.17:18

**Leo Iohanni s.**

Nonne biblia nos docet prophetam nihil valere in terrā suā propriā? N.

d.15. m.Aug. a.2022 h.17:34

**Iohannes Leoni s.**

Immo! Apud Matthaeum, ut nunc colligo, illud invenitur dictum. (Aliquatenus miratus sum quod non in aliquo Veteris Testamenti libro.) Vale!

d.15. m.Aug. a.2022 h.17:47

**Iohannes Leoni s.**

Ego quoque opinatus eram haec verba inveniri in Testamento Vetere. Gratias tibi ago, quod Matthaeum auctorem huius sapientiae mihi attulisti! Haec brevissimē, mox, si volueris, certē plura. **NLL**

## CAROLUS LYVENS ACADEMICUS LITUANUS

d.23. m.Iul. a.2022 h. 23:14 Sveikas gyvas

### **Leo Latinus Carolo Academicu sodali suo Lituano taciturno sal.pl.dic.**

Quid fit quid agitur? Iam diu nihil a te accepi! Quid de dissertatione tuā? Ubi nunc versaris? Mamuchii an Vilnae an Antverpiae? Estne tibi satis multum energiae? Quam esse productum ex massâ et quadrato celeritatis lucis *Albertus Monolithus* nos docet. - Iamne scis Hungaros nunc Russiam rogare, ut sibi vendat gasum? Quid tibi videtur? - Minister noster oeconomiae Prasinosophista nobis commendat, ut pro Ucrainiâ mingamus sub tubulo mammato eoque parcamus aquae et energiae, quâ aqua ad cisternam afferatur sellae familiaricae). - Tu es physicus - putasne hac methodo tanto energiae parci posse, ut sine gaso russico vivere et Ucrainiam adiuvare possimus? Nam hoc est maximi momenti: oportet vivere pergamus, ut Ucrainia victoriam pariat. Gloria in excelsis Ucrainiae. Quia Ucraini pugnant etiam pro nostrâ libertate. Itaque iuvat et delectat frigêre et mingere sub tubulo mammato. Babae, quam argutum hoc est! - Care Carole, remoto nunc ioco te rogo, ut scribas mihi aliquid - non est necessarium omnia systematicê ordinare: scribas, quidquid tibi in buccam venerit. - Et legas Epistulam Leoninam. Operam dedi, ut lectores delectarentur. - Pancraticê vale et perge mihi favere. - Medullitus te salutat

**Nicolaus Leo Latinus.**

d.03. m.Aug.a.2022 h.15:58

### **Carolus Nicolao Leoni Latino suo s.p.d.**

Gratias Tibi ago pro epistulâ tuâ! Gratum mihi est audire Te bene valere, Te res lexicographicas necnon epistulas Leoninas scribere pergere. Ego bene valeo, adhuc scribo thesin meam doctoralem, versor Vilnae. Quantum restat magni Orbis Picti tui? Evidem fere pro certo habebam me Te esse conventurum mense Iunio Romae in conventu ALF et tunc nos esse collocuturos. Quod non evenit, ergo nunc opus est redire ad commercium litterarum.

Nunc autem veniam ad causam cur ad Te diu non responderim (neque mense initio mensis Maii neque postea), quoniam ipse hanc rem in epistulâ istâ nunc ad me allatâ attulisti – ferre non possum illa omnia, quae de Ucrainâ a Moscî oppugnatâ in istis epistulis Leoninis publicasti. In epistulâ 258 attulisti pessimum ac hebetissimum quemque Putini excusatorem et approbatorem, haec omnia horruí cum illam pridie Kalendas Maias acceperim. Postea inspexi etiam epistulam abs Te statim post incursionem Moscorum divulgatam, Tu orationem praesidis eorum Latine redditam attulisti, attulisti etiam alios Germanos et Americanos nugatores, sed in illis tribus epistulis (254, 258, 264) quas legi video neque praesidem Ucrainae, neque ullum alium Ucrainum.

Certe apertum scelus nemo pro re iustâ vendere possunt, ergo dolo utuntur et per ambages et sophismata rem apertam rem obscuram reddunt et dubio venenoso omnia spargunt. Primum omnium negant esse bellum a scelestis latronibus rei publicae liberae iniuste illatum, immo esse quoddam „bellum inter Americam et Russiam“, Moscos „specialem militarem operationem“ incohando certâ et sibi constante ratione

periculo sibi imminenti et ab Americanis illato mederi. Omnes hi scriptores conantur quam maxime neglegere ipsos homines, ipsas nationes (ut Ucrainam) Europae Orientalis, quae sui iuris non esse dicuntur, libertate eligendi privantur, omnia ad „aequilibrium potestatum“ (power balance) adducuntur – Europa dividitur in partes duas, Occidentalem et Moscoviensem, in medio ponitur Europa media et orientalis, ergo summum omnium officium est respicere hoc schema ante multa decennia in tabulā geographicā artificiose delineatum. Sic iam nil a propriā voluntate Ucrainorum pendet, opus est maneant in loco suo iam ab aliis, solis scilicet quibus datum est ius iudicii, definito.

Moscis igitur est ius sibi arrogare non solum „Russiam propriam“, sed etiam terras circumiacentes et nomine liberas quasi illae ad se quādam ex parte pertineant, datum est ius „sollicitari“ de hisce terris et exaudiri. Contra, ipsae civitates de se et de viciniā Moscorum sollicitantes (a quibus plurima mala sunt passae decursu saeculorum, recentissime magnam vel maximam partem saeculi XX sub dictione coenonistarum) quodammodo despiciuntur, haud semel visae sunt contra sanam rationem agentes.

Ergo in his scriptis hae nationes subiectae sunt schemati cuidam omnino „colonialistico“, orbis terrarum inter paucas potentissimas nationes dividitur (suadeo ut legas <https://newrepublic.com/article/165603/carlson-russia-ukraine-imperialism-nato>). Neglegitur voluntas propria, agnoscitur aliena. Nunc cum Ucraina contra omne ius gentium et humanum nefarie oppugnata est, haud paucis scriptitoribus visum est oppugnatorem hanc incursionem egisse in territorio quodammodo sibi proprio, econtra illos qui patriam suam laresque defendunt pugnare potius pro Americanis longinquis, a quibus regi dicuntur potius quam libertatem propriam tueri, non pro semet ipsis.

Hi scriptores sic solent agere de „extensione illius NATO“: esse culpam nostram (sc. Americanorum et Europae Occidentalis) nos hanc societatem extendere voluisse, fortasse non erat faciendum, nos sic offendisse animos Moscorum (quamquam tunc temporis Moscovia nil dixit: <https://www.lrt.lt/en/news-in-english/19/1577192/lrt-facts-has-nato-ever-promised-russia-not-to-expand-east>), qui iuste (!) sollicitantur de viciniā suā et ex hac re omnia haec mala exorta esse. Sed reapse non agitur de voluntate occidentalium huic territorio impositā, agitur potius de nationibus quae passae diutinam servitutem Moscoviticam illam effugere voluerunt et ipsae petiverunt et operam dederunt ut liceret eis intrare hanc societatem quae illos tueretur. Res quae nunc sunt bene demonstrant illos recte iudicavisse: periculum esse et fuisse verum.

Sed iam nimis longus sum in hac re, non possum omnia unā epistulā comprehendere. De illis pessimis scriptoribus, qui negant caedem Bučensem a Moscis perpetratam, verisimiliter et omnes alias caedes, et aiunt rem esse ab Ucrainis factam, tacebo. Non sunt mihi vires tempusve ad tales nebulones lacerandos. Ut finem argumento imponam, repetam quaedam verba abs Te allata, sed sine vi ironicā quam illis dedisti: „Gloria in excelsis Ucrainiae. Quia Ucraini pugnant etiam pro nostra libertate.“.

Nunc de energiā illā de quā me rogas. Radix huius rei quodammodo coniuncta est cum ratione illā cogitandi modo delineatā. Mosci a Germanis multa decennia habiti sunt boni et fide digni, inter alia praesertim in mercaturis, econtra nationes orientales ut Poloni et Lituani et interdum Americani de Moscis sollicitantes deridebantur. Ut exemplum rei afferam, epistulae adicio pelliculam ubi legati Germani derident Donaldum Trumpium dicentem Germaniam Moscis obnoxiam esse. His triginta tribus annis et terrae Balticae (Lituania, Lettonia, Estonia) et Polonia et procul dubio etiam aliae civitates compluries passae sunt id quod nunc vos patimini: scilicet perfidiam, interclusiones gasiductuum, minationes de pretio aliisque de rebus. Sed Mosci usque ad hunc annum mercatores fide digni vobis apparuerunt et haec omnia neglexistis, quasi ea quae fierent orientalibus fieri non possent Germanis. Sed nunc iam facta sunt et fortasse iam longe pluribus patet gasiductum Moscoviensem esse quod reapse est: instrumentum bellicum. Ergo credo hanc calamitatem ipsam Germaniam sibi quodammodo conciliavisse cum nimis obnoxii facti sint mercibus eorum lucrum oeconomicum quaerentes et contextum politicum negligentes. Nos energiā non caremus, quia his periculis iam diu edocti construximus nobis navem quā uti possumus ad gas liquefactum importandum. Nunc, ni fallor, Germani sibi aliquid simile comparare nituntur.

De prasinis in Germaniā, quos derides, Tibi possum magnā ex parte consentire. Quamquam Germaniae imminet periculum penuriae electridis propter penuriam gasii Moscovitici, nihilominus clauduntur electricinae Germanicae nucleares ut Telluri parcatur, quare resuscitandae sunt electricinae carbonariae quae Telluri minus parcant. Quae etiam carbone Moscovitico alebantur – modo didici a Kalendis Augustis Europam non iam importaturam esse carbones e civitate illā, ergo fortasse hoc vitium iam sublatum. Sunt multa talia quae et rem publicam gravant et fortasse vix quidquam boni Telluri afferunt.

Ecce iam vides quid sentiam de statu rerum! Haec epistula iam modum excessit, ergo de rebus Latinis et de studiis lexicographicis tuis libentissime disseram in proximis litteris.

Interea autem valeas quam optime, o Latinissime rerum! Te saluto Memelā.

d.03. m.Aug. a.2022 h.16:41

**Nicolaus Leo Latinus Carolo Lyvens Lituano ex abundantiā cordis locuto salutem plurimam dicit.**

Summas gratias, mi Carole Latinissime, pro verbis tuis flagrantissimis! Primum omnium valdē gaudeo te adhuc vigere et valere; nam qui adhuc potest tam vehementer indignari quam tu, eum nondum ad plures iturum esse pro certo habeo. Ex verborum tui vehementiā cognosco te ex ipsā animā loqui ardentissimā. Symbolis meis Ucrainianis videor tibi aliquatenus bilem movisse. Ergo bene est, quod nunc iram tuam - sit venia verbo - evomuisti ita, ut anima tua quadamtenus purgaretur. Scilicet epistulam tuam prolixam et uberrimam libentissimē publicem proximā in Epistulā Leoninā. Nam semper maximē aestimo illud proverbium Latinissimum quod est: "AUDIATUR ET ALTERA PARS!" - Singulis et universis argumentis tui studebo

respondere proximâ occasione datâ. Verborum tuorum acerbitate contrastatus cum sim, tamen solacio mihi est te non omnibus in rebus a me dissentire: nam scribis tibi quoque displicere Prasinos et mones me *Donaldi Trump* dicentis periculosum esse Germanis, quod nimis obnoxii essent gaso Russico emendo; nam illud monitum Trumpianum - quamvis a politicis nostris stultê irrisum - iam illo tempore vehementer laudavi. Ergo restat adhuc quidam consensus nostri, ut ita dicam, partialis; ceterum si in omnibus rebus consentiremus, taediosum et molestum esset commercium nostri epistulare. Ergo te meque consolatus cum sim, exspecto multas litteras a te scriptas litigiosissimas et Latinissimas. Haec hactenus brevissimê; mox, si volueris multa alia, non sôlum de Ucrainâ et energiâ, sed etiam de lexicographicis et humanisticis necnon de quibuscumque aliis rebus, quae tibi mihi in buccam venerint. Pancraticê vale, mi care Carole, et sine morâ perge mihi favere. Nam istac in tempestate rerum oportet amicitiam servare et firmare quam firmissimê. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:05

### **Leo Latinus Carolo suo Lituano suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria?* Velim experiri, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! N.

d.15. m.Aug. a.2022 h.19:12

### **Carolus Leoni suo s.p.d.**

Nonne *universalis penuria electridis?* Verisimiliter acturus es de Europâ hodiernâ. Intellegitur, sed minus placent talia verba sesquipedalia:) En habeas quoddam lexicon interbellanum! Fac quam optime valeas! **Carolus.**

d.15. m.Aug. a.2022 h.20:19

### **Leo Carolo suo s.**

Primo summas gratias tibi ago, Carole carissime, pro *Lexico Cognassiano* liberalissimê copiato appendicique imposito! Utilissimus hic libellus mihi erit ad locos citandos. --- Velim verbo "*pan-dys-electria*" hodie confictio denominare defectum electricitatis per magnam distantiam longumque tempus, qui anglicê dicitur "(general) blackout". Quare tibi proles mea novissima videtur esse "sesquipedalis", i.e. nimis longa? Recordor sermoni Lituanico inesse verba multo longiora (tamen perutilia). Brevissima sunt verba Sinica et Sinocoreanica - ideoque saepe difficilia intellectu et facilia confusu. Quo breviora verba habet lingua, eo magis est polysemica. Ceterum etiam lingua anglica propter verborum brevitatem laborat ex polysemiâ. In verbis novandis generaliter valet: Si quae confictio nova tibi displicet, proponas meliorem; sed si melior tibi non in mentem incidit, ne personam geras *Sixti Beckmesser*. Ceterum semper respicienda est etiam possibilitas derivationum. E.g. adiectivum facile fingitur: *\*pandyelectricus*". Ut alterum exemplum afferam:

Quidam vituperavit verbum "*harma, -atis n.*", quod adhibeo ad currūs belli cataphractos denominandos. Idem putat nimis facile fieri posse, ut confundatur cum plurali tantum Latino, q.e. "*arma, -orum n.pl.*" Sed hoc verbum graecum iam invenitur apud Homerum, ubi iam valet currum bellicum. Et secundum exemplum neograecum perutile licet derivare adiectiva "*harmaticus, -a,-um*" et "*antiharmaticus, -a, -um*", e.g. "*granatarii harmatici*" (theod. "*Panzergrenadiere*") et "*manuballista \*antiharmatica*" (i.q. *bazooka*, theod. *Panzerfaust*) et multae aliae coniunctiones nominum militarium. In talibus nominibus fingendis si utor nomine ipso iam bipartito aut tripartito), q.e. "*currus/carrus/carruca bellic/us/a cataphractus/a*" et sim., quoniam modo configam derivationes et combinationes (quae sunt absolutē necessariae, nisi etiam specialia nomina moderna evitare - aut - ut *Aloisius Miraglia* - prorsus omnibus verbis novatis carere volumus? Haec hactenus de verbis "*sesquipedalibus*".---

*Pandyselectria*, quae procul dubio est calamitas summa (et - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, et fit verisimilior) - quod tu physicus certissimē iam scis - post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernā societate nostrā ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliā electricā). Feliciter accidet, si noverimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytæ neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, quia benzinum non potest accipi ex columnis stationum benziniarum antliis electricis instructarum). - Mox fient direptiones et homicidia... Habebimus illum statum generis humani originalem, quem describit *Thomas Hobbes* in "*Leviathan*" suo. Et *homo homini erit lupus* (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantem). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. - Quid tibi videtur? Qualis nunc est status Lituaniae energeticus? Estne melior quam Germaniae (Prasinorum insaniā atque stultiā interiturae)? Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Quia physicus es, pro certo habeo te rem melius perspicere quam homines a numeris machinisque alienos. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minime credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.15. m.Aug. a.2022 h.21:40

### **Leoni suo Carolus s.p.d.**

Certe vocabulum non est nimis longum! Haesi potius in istā concatenatione plurium praefixorum – numquam vidi vocabulum „dyselectria“, ergo non statim patuit res etiam magis composita. - Non credo Vivarium omnino carere verbis novatis, sed illi certe saepius solito utuntur variis interdum longiusculis iuncturis plurium vocabulorum a se ipsis conditis. Tu potius totum sensum in unum vocabulum cogere mavis et soles. Multae sunt viae nova significandi quibus gaudet lingua Latina, varietas delectat. Si quādam re raro opus est, parum refert an nomen sit breve an

longum, fortasse praestat longum, tale enim intellectu facilior esse solet. Contra, si est res cottidiana et saepe adhibetur, melius est illam nomine brevi nominare, vel saltem habere tale nomen quo uti possimus. - „Harma“ nondum vidi, uti soleo „curru armato“ vel simili quādam locutione. Nomen abs Te effectum certe melius aptatum est novis locutionibus derivandis. Hac in re placet. Quomodo procedunt res lexicographicae tuae? - Si iam agitur de electricitate sive electride, habeo quid proponam. Placet uti metaphorā fluenti cuiusdam electrici. Ergo, exempli gratiā, illud Anglicum „to charge“ quod Itali dicunt „caricare“ (et inde nonnullos Latinos ita dicentes audivi) malim dicere „vires infundere“, „electricitatem/electridem infundere“ vel aliquid simile. Ergo „charger“ fit „infundibulum electricum“, „charged“ „infusum“. - Imminent incommoda ex quādam diminutione fluxūs electrici (vel ex maiore pretio eius), sed omnia sic descriptsisti quasi iam tota res ex orbe terrarum evanuerit; non credo hoc futurum esse. Fortasse melius valemus, quia a Moscis minus pendemus (hoc iam descripsi in epistulā meā superiore, sed, pro dolor, pretium apud nos quoque crescit. Videbimus quorsum evasura sint omnia. - Haec igitur in praesenti. Valeas quam optime, vir Latinissime!

d.16. m.Aug. a.2022 h.00:07

### **Leo Carolo suo sal.pl.**

Gratias pro responso prompto. Ceterum modo perfeci disquisitionem prolixam, quā tractavi verbi Latini notissimi maximēque naturali etymologiam, quae usque nunc nondum est persuasibiliter explicata. Inerit proximae Epistulae Leoninae, quam mox tibi mittam. Titulus est: *"De etymologia mentulae"*. Memoro ibi etiam nomen mentulae Lituanicum, quod est *"varpa"*, et persimile est nomini Latino membra virilis, quod est *"verpa"*. Scisne, quid indoeuropeistae Lituani cogitent de origine huius verbi? Creduntne nomen Lituanicum cum Latino cognatum esse? An similitudo videtur fortuito esse exorta neque affinitate indoeuropeā? Praeterea invēni verbum, q.e. *varpa*, etiam valere *spicam frumenti* et potius esse in usu librorum biologiae scholarium quam Lituanorum familiariter colloquentium. Nomen, quod adhibeatur in sermone familiari aut remissiore, esse *"bybys"*. Quod nomen mihi videtur quādam onomatopoesi affectivā confictum esse - quid sentis? Praeterea invēni nomina *"daikts"* et *"pimpis"*. Suntne potius officialia an familiaria an vulgaria? Scisne etymologiam eorum? - Haec raptim, mox certē plura. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus.**

d.16. m.Aug. a.2022 h.19:32

### **Nicolaus Carolo suo Lituano physico necnon humanistae sal.pl.**

Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAE imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitiae: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis

etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

## **DAVID EDWARDS BRITANNUS**

d.29. m.Maii a.2022 h.18:06

**Dearest Brother Nicolaus,**

Thank you for your newsletters; I appreciate them greatly. You suspect - you perhaps fear - that my quietness might mean that I could have little interest in your words, that your thoughts or your Latin mean little. Please forgive me if I write to you in my finest English. You should please not worry. I love reading your newsletters. I am constantly shocked and surprised by those things I find in them. They are revelatory. And I need time to process what is indeed new data. I am always thinking of ideas for contributions. I hope always to contribute. **David Edwards**

d.24. m.Iul. a.2022 h.19:39

**Nicolaus Davidi sal.pl. s.v.b.e.e.v.**

Quid fit, quid agitur, Britanne Latinitatis vivae studiosissime? Iam diu nihil lēgi a te scriptum. Accepistine heri Epistulam meam Leoninam 264? Iamne inspexisti? Insunt multa et varia et spero inesse etiam, quae tibi placeant. Scribas mihi, quaeso, de argumentis allatis quidquid tibi in buccam venerit. Pancraticē vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**.

d.29. m.Iul. a.2022 h.12:31

**David Nicolao s.**

Quaerere exitum: Ursula Andress “Honey Ryder”

Nomen in passport: μέλι καβαλλάρης

Nomen in visa Romana: Mellilla Kéλης



“Melli Kelli”

*Explicatio:* ‘chile’ neo-nigrilogismus est (*infans*). Hoc erat litterarium artificium, quod est confictum, ut nomen puellae afferret solum *Honey*, i.e. mel. Respectio sexualis patet: “in terram quæ fluit lacte et melle” Exodus 3:8. Nomen gentilicium q.e. *Ryder*, etiam est evidens allusio sexualis. Usus litterae veteris ‘y’ quandam nobilitatem addit, et celat manifesta. Legimus in libro *Dr.m No* eam habuisse originem suae familiae in nunc exilibus praefectis exercitūs Cromwelliani. Nobilissimi exercitūs Cromwelliani erant utique equites. Ergo allusio sexualis est perfecta et absoluta. Haec interpretatio fortasse melius cum tactu criminis hoc retinet. Kéλης: Adams\_JN\_The\_Latin\_Sexual\_Vocabulary.pdf

d.03. m.Aug. a.2022 h.18:00

**Nicolaus Davidi Edwards Britanno psychologo subtilissimo sal.pl.dic.**

Gratias plurimas, care David, tibi ago pro analysi nominum Bondianorum psychoanalyticâ, quae sunt „*Honey Ryder*“ et „*Honeychile*“. Subtilitatem Freudianam, quâ animas *Iani Fleming* auctoris et *Terentii Young* scaenothetae fabularum *Jacobi Bondii* indagas, non possum, quin laudem vehementer. Perge quo coepisti et ditifica litteras Latinas quam uberrimê! **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.04. m.Aug. a.2022 h.10:03

**David Nicolao s.**

Nihil speciale hic. Omnis homo Anglicus hoc statim cognoscet cum cinematographicum viderit. Facile est: ‘*Pussy Galore*’ (*Goldfinger*) i.e. *per allusionem*: ‚Cunnus Immoderatus‘, ‘*Plenty O’Toole*’ (*Diamonds are Forever*) – ‚Abundus O’Mentula.

Hic iocus difficultatem tuam explicabit: Tres scientiae longo itinere per Africam facto redeunt: Anglus et Gallus et Germanus. Convenit inter eos, ut describant, quid de elephantis didicerint. Post annum desistunt ab opera sua. Primus est Anglus, et ostendit librum suum c.t. ‘*Quomodo venandus sit elephantus!*’ Deinde venit Gallus, qui ostendit superbe suum opus ‘*De Elephantorum Venere*’. Tandem venit Germanus. Qui quinque volumina ingentia conscripsit: ‘*Introductio ad Elephantos describendos*’.

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:12

**Leo Latinus Davidi suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit \**pandyselectria*? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intelligibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! LL.

d.15.Aug.2022 h.17:25

**David Leoni s.**

Pandyselectria? Nope. Totum diem in ea laboravi. i mutavimus omnes variationes in omni lingua <https://kaikki.org/dictionary/> Nequaquam quidem ullos nexus intuitivos efficit. nec ‘pandy’ nec ‘selectRIA’ ullum sensum faciunt, vel earum variationes pandys-electria? Pandy (bendy, bendi-bus, flexi etc.) - **NOUN dialect** Scottish, British, Irish **A stroke on the palm of the hand with a tawse, ruler, or rod, given as a punishment to children in schools.** Origin - Mid 18th century. Probably from post-classical Latin *pande* (in *pande manum* ‘stretch out your hand!’ from classical Latin *pande*, 2nd singular imperative of *pandere* to stretch or spread + *manum*, accusative singular of *manus* hand; compare classical Latin *pandere manūs*), with the ending remodelled after -y. - Selectria (modern Greek) Auditor (qui audit) ...

d.15. m.Aug. a.2022 h.17:40

### **Leo Latinus Davidi suo sal.pl.**

Care David, quare aqua tibi haeret? Verbum facillimum intellectu: pan-dys-electria est i.q BLACKOUT, i.e. defectus electricitatis per magnam distantiam longumque tempus. Tali calamitate summâ (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, fit verisimilior) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernâ societate nostrâ ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliâ electricâ). Feliciter accidet, si invenerimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytæ neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, nam in stationibus benzinariis non iam potest accipi benzini: columnæ infusoriae sunt antliis electricis instructæ!). Mox fient direptiones et homicidia... Morientur homines acervatim et crudelissimè... Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit *Thomas Hobbes* in "Leviathan" suo. Et *homo homini* erit *lupus* (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. Quid tibi videtur? Esne energia Britannis securior (nonne habetis oleum terrigenum in fundo maris?) quam Germanis (Prasinorum insaniâ atque stultiâ interitus)? Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimè credulus postero! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

### **MARCUS CRISTINI BRIXTIANUS**

d.23. m.Iul. a.2022 h.22:48

**Nicolaus Leo Latinus Marco suo Brixiano Botanico et Philologo Academicus**  
sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v. Libenter recordor mirabilem illam epistulam prolixam, quam mihi nuper misisti Romae acroasis facturus. Ibi cum de ceteris tum etiam de politicâ rectitudine scripsisti deque morboso furore ideologico, quo nomina scientiarum usu iam pridem probata tollantur, evitentur *colonialismus* et *phyletismus*. Exemplum attulisti nominum botanicorum, quae spectant ad *Caecilium Rhodes* Britannum imperialistam. Toto ex corde, mi care Marce, tibi assentior: Sunt exempla talis furoris nomina mutandi numerosa. Apud nos plerisque in urbium curiis consiliarii sedent, qui multum temporis et pecuniae consumant de talibus quaestiunculis ficticiis disputantes, e.g. student abolere omnia nomina viarum aut domuum, quae spectant ad mauros et nigritas aut ad zingaros aut ad duces militares et politicos, qui in suspicionem venerunt aut fuisse nacistas aut colonistas... Maximè student eradicare nomina quae sibi videntur esse *misogyna*... Longum est enarrare istas stultitias, quibus lingua et historia penitus perturbentur... Maximum autem scelus est *genderismus*, qui ipsis infantulis iam inculcatur - quo usque tandem iste furor nos eludet? --- Romae apud Academicos quid vidisti et audivisti? Quomodo acroasis tua tibi evasit? Esne contentus? Fuistine etiam apud *Aloisium Miraglia* in Vivario Novo?

Profecto eius Latina opera et studia sunt laudabilia et admirabilia. Tamen bonus *Aloisius* omnino errare mihi videtur eo quod strictē recusat, ne utatur in colloquiis suis Latinis verbis novatis. Itaque omnes res, quae antiquis temporibus nondum exstiterunt, tractans non denominat nisi utitur circuitione verborum. Quid hoc sibi vult? Nonne iam Cicero dixit novis rebus nova verba esse imponenda? Quid tibi videtur de istâ abstinentiâ *Aloisii* neologismorum? Haec hactenus, pauca dixi parum ordinatē, tamen spero eadem tibi non indigna visum iri, ut perlegas. Tu quoque scribas quidquid tibi in buccam venerit. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.31.m.Iul. a.2022 h.10:58

### **Marcus Nicolao Leoni Latinissimo s.p.d.**

Gratias tibi ago pro epistula tua. Conventus Romanus fuit iucundus et orationibus auditu dignissimis copiosus, sed die Lunae primo mane mihi proficiscendum fuit, cum nomen iam ante panepidemiam dedissem conventui, qui ob luem ad mensem Iunium huius anni in urbe Mateola (Italice *Matera*) dilatus erat. Ut persaepe accidit, mensis alius conventiculis omnino vacat, alius abundat. Nam ante conventum Romanum in urbe fui Neapolitana, mense Iunio exeunte Genavae in Helvetia, et hodie Lovanium appetam, ut conventui Societatis Internationalis Studiis Latinis Provehendis intersim. Olim clerici erant vagantes, nunc - tempore postpanepidemico - sunt academici vagantes!

De politica rectitudine hodierna quid dicam? Nunc ne nomina quidem universitatum studiorum tuta sunt. Nuper enim adulescentes acriter suaserunt, ut Universitas Eberhardina Carolina Tubingensis nomen mutaret, quia illius conditor, Eberhardus I dux Wirtembergensis, cives Iudeos Tubinga expulit, et conditor alter, ut ita dicam, id est Carolus Eugenius archidux Wirtembergensis, tyrannice erga cives militesque se gesserit. Fortuna favente senatus academicus consilium repudiavit. Iuvenes non intellegunt mores hodiernos (nostros, id est civitatum Hesperiarum) non eosdem esse ac mores antiquos, mediaevales vel ineuntis modernitatis. Si viros illustres antiquos iuxta mores hodiernos iudicamus, quorum memoriam servabimus? At caveant isti politicae rectitudinis sectatores, ne ipsi censura quadam futura inter reos ponantur! Si enim nosmet ipsos pueros iuxta mores adultae aetatis iudicamus, quem non pudeat? Immo, si nos posteri iuxta mores posteritatis iudicaverint, quis nostrum e damnatione memoriae effugiet? **Cura, ut optime valeas.**

### **Nicolaus Marco suo philosophotato sal.pl.dic.**

Quod mihi promptē et prolixē respondisti, sodalis carissime, gratias tibi ago plurimas. Stupens laudo navitatem philologam extraordinariam, quam praestas indefessē insudans colloquiis habendis et acroasisbus faciendis et audiendis conventūs doctos frequentans frequentissimē...

Politica rectitudo nos vexat, vexat omnes homines, qui sint bonā voluntate necnon sanā mente. Sunt philosophiae studentes, qui ipsum *Immanuelē Kantium* velint fugare ex seminariis, quia idem sapiens Regiomontanus parum respexerit iura mulierum. Sed alii iam multo longius procedentes contendunt neque esse feminas

neque viros neque heterosexuales neque tribades neque cinaedos, sed esse minimum sexaginta quattuor sexūs (aut "genera", nam sexūs biologicos nihil valere) et unicuique homini licere, ut cottidie denuo eligat sexum (sive "genus") suum. Nonnulli aetate provectiores de istis absurditatibus adhuc rident et iocantur nondum intelligentes subesse globalistarum consilium insanissimum et immisericors et maximē destructivum: Isti enim trifurciferi volunt homines privare identitate et cultuali et biologicā. Novistine opera istius *Nicolai Schwab* ("Great Reset") et istius *Yuval Noah Harari* ("Homo Deus: A Brief History of Tomorrow")? Vae nobis! Horribilia dictu sunt ea, quae isti *trifurciferi transhumanistae megalomanici* de genere humano facere in animo habeant! Quid tibi videtur de istis? Credisne me esse *theoreticum conspirationis*? Nimis anxiosum? Me senescentem rebus futuris nimium diffidere, immo delirare more Cassandrae? Pro certo habeo te esse non sōlum iuvenem *philologotaton* et *botanicotaton*, sed etiam *philosophotaton* - ita, alter Theophrastus mihi vidēris esse: idem enim non sōlum disciplinae botanicae fuit coryphaeus omni laude dignissimus, sed etiam cum fuerit auditor ipsius Stagiritae praestantissimus, eius praestantia philosophica nullo modo in dubium potest vocari. Itaque responsum tuum exspecto animo suspensissimo. Antequam huic epistolio finem imponam, recordor te ex me quaevisse, num in *Orbe Picto* meo etiam inessent nomina armorum bellicorum? Itaque rogo te, ut inspicias appendicem huius epistolii, cui insunt NOMINA ARMORUM. Si quae menda errores stribiliges soloecismosve inveneris (pro certo habeo oculos tuos esse infallibiliter philologos), indica, quaeso, eosdem tollendos.

Spero vocabula mea militaria tibi, cum naviter deditus sis litteris Latinis bellicosis, aliquatenus fore usui et fructui.

Haec hactenus, care Marce, mox, si volueris, plura et meliora; nam in praesenti nil scripsi nisi nonnulla parum ornata parumque elegantia, quae mihi in buccam venerant. Pancraticē vale et perge mihi favere et scribe de illis trifurciferis transhumanistis deque vocabulis armorum a me collectis et confictis. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

d.11. m.Aug. a2022 h.19:15

### **Marcus Nicolao Latinissimo necnon lexicographo peritissimo s.p.d.**

Gratias tibi maximas ago, care Leo, pro vocabulis armorum mihi perhumaniter missis proque verbis benignis. Non sum dignus tanto honore! In plantas subsicivis tantum temporibus incumbo et pauca cognosco de familia una, *Crassulaceis* vocata, aliis omnino neglectis. Quod ad philosophiam attinet, ignorantiam meam minime dissimulo: in universitate studiorum philologiam praesertim, historiam et litteras didici. Si aliquid philosophiam redolens scribere audeo plus minusque inscius, id e recordationibus admodum remotis et sensu quodam communi originem trahit.

De politica rectitudine quid plura? Puto non solum seniores, sed etiam multos iuvenes harum rerum pertaesos esse, praesertim eos qui Georgii Orwell haud sint immemores quibusque libertas loquendi et cogitandi cordi sit. Sententiam

tantum Senecae addere velim, quae mihi plusquam semel in mentem venit cum audirem de bellis plusquam civilibus inter “rectiores” acriter decertantes ut nonnulli “rectissimi” omnium fierent: *omnis stultitia laborat fastidio sui* (*Ep. 9.22*)... Opera Nicolai Schwab et eius socii non novi, data occasione eas versabo. Profecto quod paucis utopia esse videtur, id plurimis dystopia est. Favente fortuna homines raro, immo rarissime, res futuras haud perperam vaticinati sunt. Nunc autem transeo ad vocabula bellica a te optime collecta et confecta, quibus lectis denuo miratus sum industriam doctrinamque tuam re vera encyclopaedicam. Nonnulla notavi de rebus minimis, quae fortasse tibi proderunt ad orbem pictum expoliendum (vide infra). Optima quaeque tibi opus tam doctum quam laboriosum nocturna diurnaque manu perficienti imo ex corde exopto. Cura, ut optime valeas.

#### Animadversiones de vocabulis armorum

Quod ad **abbrassatam** attinet, Italice malim “bracciale”. Quod verbum hodie plerumque “armillam” significat, sed sibi vult et “antica armatura difensiva del braccio formata da due tubi troncoconici, generalmente di lamiera, imbottiti, uniti insieme per mezzo della cubitiera” (fons: Treccani). Eodem verbo usitate nos Italici utimur ad **regulam** quoque **bracchii** significandam. Sunt fortasse verba accuratiora, quae autem ii tantum noscunt qui armaturas aut fabricant aut ludendi causa induunt. **Pars pectoralis** Italice est “pettorale” (Treccani: “Parte della corazza che, nelle antiche armature, proteggeva il torace; in partic., la piastra anteriore della lorica”). “Petto” est enim pectus, id est pars corporis.

**Cochlea** \*fixōria est Italice “vite di fissaggio”.

**Rapperia** est Italice “spadino” vel “stocco”.

Quod ad Germanicum verbum “Dolch” attinet, malim Latine “daca” seu “daga” (vide [DAGGER, Glossarium mediae et infimae latinitatis, Du Cange et al. \(sorbonne.fr\)](#) ). Nam *dague* et *daga* ex hoc vocabulo, ni fallor, originem trahunt.

**Machaera** non multum mihi placet – fateor – cum usitate ad cultellum spectet. Sermonibus recentioribus consentientibus, scribere ausim “macheta, ae” vel “machetes, ei”.

**Pulvis pyrius** Italice est “polvere da sparo”.

Quod ad “Kugel” pertinet, auctores nonnulli glandes (plumbeas) scripserunt, quia tela simillima antiquitus fronditores iaculabantur. Et tu gladem paginis insequentibus accepisti.

**Manualia arma ignaria** sunt quidem Italice “pistole”, sed elegantius dicuntur “armi corte” (i.e.: “qualsiasi arma da fuoco la cui canna ha una lunghezza inferiore ai 30 cm oppure la cui lunghezza totale non supera i 60 cm”)

“Magazin” scribi potest “glandotheca”, si glandes accipimus ad “Kugel / pallottole” significandas.

Fateor verbum q.e. **granum** mihi non multum placere, malim **dioptram**.

“Revolver” Italice dicitur “revolver”. Latine fortasse **revolverum** scribere possumus perspicuitatis causa.

“Elektroschockpistole” nunc Italice “taser” dicitur, verbo Anglico usurpato, vel interdum “pistola elettrica”. Fortasse Latine simpliciter “pistolium electricum” scribere possumus.

**Cornū pulveris pyri** est Italice “fiasca” vel potius “fiaschetta”. “Fiasca” est enim usitate lagoena vini!

“Molla dell’acciарino”: Italice L bis scribendum est.

**Tela projectilia** Italice sunt “proiettili”.

**Globus solidus / globus cannonis:** melius est Italice “palla di cannone” scribere. Pueri enim libentissime pila (*palla*) ludunt...

“Sezione di una bocca da fuoco” Italice scribendum est.

**RPG:** quidni “manuballista granataria”?

“leva de [*recte* di] fissaggio del venturi”: Timeo, ne Italice verba haec satis sint obscura.

“Leva di fissaggio” tantum scribere malim.

Quod ad **harma** attinet, Bello Mundano Primo flagrante auctores Neo-Latini nonnulli de his machinis disputaverunt, quae tunc temporis omnino erant incognitae, qua de causa tam Latine quam sermonibus vernaculis nova verba erant excogitanda. Britannus eas dixit “cisternas”. “Currus loricatus” mihi non displicet (ideo manuballista *anti-currilis*, missile *anti-currile* etc.; *harmatista* = *carrucarius* vel facilius *auriga*). Timeo ne *harma* parum sit perspicuum, cum *arma* et *harma* litterula tantum intersint. Ceterum, *Panzer* / *corazza* optime “loricam” interpretatus es.

**Gas combusti:** Italice melius “gas di scarico” dicuntur.

**Aeroplanum bellicum** malo. Nam “polemoplanum” deus quidam Graecus esse videtur...

**Navis aeroplanigera** facilius intellegitur. Quid enim “planigera” sibi velit aliquis fortasse interroget.

“Boden-Unterwasser-Flugkörper”: expeditius “missile antisubmarinum” scribere malim.

“U-Boot”: cfr. Bacci, *Lexicon*, pp. 112-113: adiectivum “subaquaneum” melius est quam “submarinum”. Tempore Belli Mundani auctor Germanus de “mergentibus” scripsit.

Nihil inveni inter vocabula a te collecta de aeroplanis minimis, quae hodie plurimum valent in Bello Ucrainico, **drones** dico, quae Gaius noster eleganter “teleplana” appellavit in *Melissa*, nisi memoria me omnino fallit. Ante nonnullos annos de *bombitore* cogitavi (*drone* originem trahit ex antiquo Anglico sermone *dran*, i.e. aliquid longe bombiens, ergo *bombitor*), sed vocabulum a Gaio excogitatum est intellectu facilius.

d.11. m.Aug. a2022 h.22:58

**Nicolaus Marco suo sal.pl.**

Gratias plurimas pro responsis tuis commentariolisque! De singulis universis postea plura. Utinam bene valeas feriisque fruaris. Mox tibi mittam novam Epistulam Leoninam, cui inerit prolixa disquisitio etymologica. Agitur de re naturali. Suspenso animo expecto, quatenus haec disquisitio tibi placitura sit. Vale semper, medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.17. m.Aug. a.2022 h.22:57

**Nicolaus Marco suo s.**

Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAE imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

## VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

d.15.08.2022 h.20:47

Doleo, Nicolae doctissime, sed quid significet novum illud verbum a te sagaciter confictum, equidem "divinare" prorsus nescio. Optime valeas.

d.15.08.2022 h.20:54

### Nicolaus Victorio suo s.

Gratias tibi ago pro responso prompto. Hoc verbum a me hodie novatum, amice carissime, facile est intellectu: *pan-dys-electria* est i.q. BLACKOUT, i.e. defectus electricitatis per magnam distantiam longumque tempus. Tali calamitate summâ (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, fit verisimilior) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernâ societate nostrâ ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliâ electricâ). Feliciter accidet, si invenerimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytae neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, nam in stationibus benzinariis non iam potest accipi benzinum: columnae infusoriae sunt antliis electricis instructae!). Mox fient direptiones et homicidia... Morientur homines acervatim et crudelissimè... Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit Thomas Hobbes in "*Leviathan*" suo. Et *homo homini erit lupus* (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. Quid tibi videtur? Estne status Italiae energeticus melior quam Germaniae (Prasinorum insaniâ atque stultitiâ interiturae)? Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpamus diem, sodalis carissime, minimè creduli postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.16. m.Aug. a.2022 h.18:52

### Victorius Nicolao s. p. d.

Tibi, Nicolae humanissime, exhortanti ut quidquid mihi in buccam venerit, aperiam, libenter respondeo, etiamsi tu aliique legentes a meis opinionibus forsan dissentias. Quo autem clarior sim, responsa dividam:

- 1) Sane graviores erunt vivendi condiciones, si electricitatis defectu obscuratio fiet (missum facias, quaeso, horrendum vocabulum, quod est "blackout", etsi apud nos quoque Italos saepe usitatum). Eas calamitates, quae ex illiusmodi obscuritate redundaturae sint, vividorem in modum descriptsisti. Tunc ingenti candelarum numero uti homines debebunt, sicut per millennia fecerunt avi nostri.
- 2) Tibi metuenti ne in aetatem nisi palaeolithicam, verisimiliter mediaevalē reiciamus, prorsus adsentior. Nam Robertus Vacca, doctus vir ingeniarus, abhinc quinquaginta annos librum scripsérat, c. t. "De proxima aetate mediaevali ventura (seu redditura)". Atque Ioachimus Fest, historicus ille vester, quodam in colloquio percontativo, quod die 22 Mart. 2001 editum est in actis diurnis Italicis q. i. 'la

Repubblica' (p. 20), cum de cultu civili humanoque interrogaretur, respondit haec: «Cultus civilis est veluti tenue stratum tinturae supra ferinos hominis motus effusae» (Italice: «La civiltà è come un sottile strato di vernice sparso sopra gli istinti bestiali dell'uomo»).

3) Quare nonnulla Hobbesianae doctrinae principia inconcussa manent. Nam non modo ad statum «originalem» ea doctrina pertinet, sed multis sub aspectibus ipsa etiam ad praesentem hominum Civitatumque condicionem spectat. Et quoniam Thomas Hobbes in linguam Anglicam vertit opus illud Thucydideum, quod est 'De bello Peloponnesiaco', iuvat Thucydideam sententiam referre ferme hanc: "similes calamitates... semper accident, quoad eadem hominum natura erit" [op. laud.', L. III, 82, 2].

4) Utrum status Italiae energeticus tam graviter se habeat necne ut apud vos Germanos accidit, prorsus nescio. Aere autem alieno suffocamur nos Itali, quorum tamen maxima pars curis vacua ubique delectatur.

5) Evidem nullam fidem praestare soleo iis hominibus praesertim politicis, qui "magnificis sortibus ad progressionem spectantibus" caece credunt (Iacobus Leopardi, 1798-1837, summus poeta et acutus morum nostrorum investigator, in carmine c. t. 'Genesta' eos homines irridet, quorum consuetudo est fidem praestare "alle magnifiche sorti e progressive"). Concludam, Nicolae indefatigabilis: Mundus noster occidentalis praecipue Europaeus ad exitum tristem- eheu- iam pervenit. Id quod aliqui viri olim praeviderant. Iste occasus irrevocabilis est, non modo propter electricitatis defectum, sed varias ob causas gravissimas, quae spirituales et morales vocitari possunt. Nihilominus cultus ille civilis, qui multas radices in Graecitate et Latinitate defixas habet, etiamnunc defendendus est "vi atque honore", ut suos milites hortatur Maximus, qui in pellicula cinematographica c. t. 'Gladiator' mirifice primas agit. Optime valeas.

d.16. m.Aug. a.2022 h.19:00

**Nicolaus Victorio suo perhumanissimo sal.pl.**

Gratias habeas ingentes, mi care amice, pro verbis tuis sapientiae plenis. Libentissime eadem publicabo, ut omnes amici Latinitatis vivae iisdem fruantur. Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAЕ imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maximē naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

d.17. m.Aug. a.2022 h.19:39

### **Victorius Nicolao, praclaro Latinitatis cultori ac propugnatori, s. p. d.**

Symbolam tuam, optime Nicolae, quae 'De etymologia mentulæ' inscribitur, multis (et fortasse taediosis) laudabilibus adiectivis ornare nolim. Eam igitur symbolam "*linendam cedro et levi servandam cupresso*" pro certo habeo. **Valeas optime.**

cfr 330 HORATIUS Ars poetica 331sq. ... speramus carmina fangi/ posse linenda cedro et leui seruanda cupresso

## **URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS**

d.15. m.Aug. a.2022 h.12:56

### **Leo Latinus Urbano suo sal.pl.**

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit *\*pandyselectria*? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! **Nicolaus Leo Latinus**

d.15. m.Aug. a.2022 h.21:32

### **Urbanus Leoni Latino salutem.**

Linguam Græcam confiteor non esse mihi satis cognitam. Ex primis eius elementis, quæ didici cum duodecim haberem ætatis annos, quasdam formas nominales et verbales distinguo, non tamen sine labore aut aliqua difficultate. - Quamobrem, primo aspectu, "pandyselectria" parum mihi dicit. Sed, ad divinationem quod attinet, perspicuum est alteram compositionis partem esse Latinam. Si vere Latina est, non adstringitur ergo rebus "electricis". Hoc posito, altera pars verbi novati aut a seligendo aut a legendō deducetur. Itaque: aut quædam res, "pandy" dicta, seligetur; aut quædam, "pandyse" appellata, legetur. - Quod potui, scripsi. Inscientia, ut ultra procedam, non permittit. Quid est ergo "pandyselectria". Estne numeri singularis, ut suspicor, an pluralis? - Dedi Brasiliopoli, Lunæ die, XVIII Calendas Septembres, in Sollemnitate Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. **Urbanus**

d.15. m.Aug. a.2022 h.23:45

### **Leo Urbano suo Latinissimo sal.pl.**

Gratias pro responso tuo. Verbo hodie conficto, q.e. pan-dys-electria, velim denominare i.q BLACKOUT, i.e. defectus electricitatis per magnam distantiam longumque tempus. Tali calamitate summâ (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, fit verisimilior) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernâ societate nostrâ ne essentiales quidem indigentiae naturales poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliâ electricâ). Feliciter accidet, si invenerimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytae neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non

operabuntur, nam in stationibus benzinariis non iam potest accipi benzini: columnae infusoriae sunt antliis electricis instructae!). Mox fient direptiones et homicidia... Morientur homines acervatim et crudelissimē...Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit *Thomas Hobbes* in "*Leviathan*" suo. Et *homo homini* erit *lupus* (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvantes). Dominabitur *darwinismus socialis* saevissimus. Quid tibi videtur? Estne energia Brasilianis certior quam Germanis (Prasinorum insanā atque stultitiā interituris)? Scribas, quaeſo, quidquid tibi in buccam venerit. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.16. m.Aug. a.2022 h.03:19

### **Urbanus Leoni s.**

Mehercule! Quam longissime aberravi! Hahahæ. Verbi novati, quoniam id esse græcolatinum dicebas, putavi aliquam partem esse origine Latinam. Sed, ut liquet, haud semper sic se res habere. Mea tamen opinione, verbi figura est satis elegans. Lamentabile est, quod immineat vobis pandyselectria. Res tamen demonstrat quam necessaria est libertas ad populi commodum atque salutem. Si — sic mente fingamus — Germani cives haberent veram negotiandi libertatem, si quicumque posset suis sumptibus electridem sibi providere, et, ob eam causam, per totam Germaniam pullularent omnimodæ electrificinæ parvæ, nonne vis electrica omnibus suppeditaretur, quoniam alter alteri subveniret? Sed contra, dum omnes res sunt in politicorum et civitatis arbitrio, si qua res deficiat, cives non habent quo confugiant. Meo quidem iudicio, civitas moderna maiorem sibi arrogat potestatem, quam ut oporteret illam hanc habere. - Sed cum pandyselectriæ periculum immineat, quid faciendum est, nisi ut politici statim deponantur a muneribus, et alii substituantur, qui rem expedire velint? - Dum considero res vestras, Deum enixe rogo, ne permittat patriam nostram in socialistarum manus incidere. Deus te tuosque semper tueatur.

### **Urbanus**

d.18. m.Aug. a.2022 h.01.01

### **Leo Urbano suo sal.pl.**

Ne anima tua, care amice, obscuretur diris vaticiniis PANDYSELECTRIAE imminentis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maxime naturalis est et expers omnis tristitia: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeſo, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis.

Carpe diem minime credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.

## GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.15. m.Aug. a.2022 h.13:14

### Nicolaus Gaio suo sal.pl.

Novum verbum Latinum (vel potius graecolatinum) finxi ad rem maximi momenti denominandam, quae adhuc nullum habet nomen Latinum. Scisne statim divinare, quid sit \*pandyselectria? Velim experiri, num neologismus meus sit sat intellegibilis. Gratias tibi ago in antecessum. Utinam tibi haec septimana sit fructuosa atque recreabilis! N.

d.16. m.Aug. a.2022 h.17:47

### Gaius Nicolao sodali optimo s.p.d.

Puto, sed pro certo non habeo, neologismo proposito te significare voluisse "(generalem) electricitatis egestatem". Si interpretatio mea recta est, locutio "electricitatis egestas" multo dilucidior est quam vocabulum tuum. Francogallice dicitur "pénurie d'électricité", nullo neologismo creato. Cura ut valeas.

### Nicolaus Gaio suo sal.pl.

Care Gaii, rectē rem circumscribis, sed non proponis nomen, quo *quantitas et vehementia* talis infortunii *ingens et calamitosa* denominetur satis breviter ("pan-", cfr "pandemia"): Verbo heri conficto, q.e. *pan-dys-electria*, velim denominare i.q. BLACKOUT, i.e. defectus electricitatis per magnam distantiam longumque tempus.

Tali calamitate summā (quae - proh dolor - nobis Germanis in dies magis imminet, fit verisimilior - sed DUM SPIRO, SPERO!) post paucos dies homines reicientur in aetatem palaeolithicam! Nam sine fluento electrico in modernā societate nostrā ne *essentialies* quidem *indigentiae naturales* poterunt expleri. Ne aquam quidem potabilem ex epitonio poterimus accipere (nam eadem afferri solet antliā electricā). Feliciter accidet, si invenerimus fontem naturalem, ex quo hauriamus aquam potabilem. In supermercatibus nihil poterit emi (nam arcae nummariae, quia sunt electronicae, non poterunt aperiri). Neque medici neque biocolytæ neque siphonarii poterunt arcessi (nullum telephonum, nullum sophophonum operabitur! Autocineta non operabuntur, nam in stationibus benzinariis non iam potest accipi benzinum: columnae infusoriae sunt antliis electricis instructae!). Mox fient direptiones et homicidia... Morientur homines acervatim et crudelissimē...Habebimus illum statum humanitatis originalem, quem describit Thomas Hobbes in "Leviathan" suo. Et "homo homini erit lupus" (nisi peior, nam lupi solent esse bestiae sociales inter se adiuvant). Dominabitur darwinismus socialis saevissimus. - Quid tibi videtur? Qualis nunc est status Belgii energeticus? Certe melior quam Germaniae (Prasinorum insania atque stultitia interiturae). Scribas, quaeso, quidquid tibi in buccam venerit. Sed nequaquam volui, amice carissime, Cassandrae more interitum Troiae vaticinari. ADHUC FLAGRAT FLAMMULA SPEI. -

Ne anima tua obscuretur diris vaticiniis meis, mitto tibi fructum studiorum meorum lexicographiae Latinae aestivum, qui maxime naturalis est et expers omnis tristitiae: quamvis mea disquisitio etymologica sit ex fontibus seriis atque profundis hausta et fundamento scientifico exstructa, tamen insunt etiam quaedam levia et poetica et iocosa et satirica. Est fructus aestivus ... utinam tibi sapiat! Si vacabis, scribas mihi, quaeso, quid tibi videatur de thesibus meis etymologicis. Vale semper et fruere gaudiis aestatis. Carpe diem minimē credulus postero! Medullitus te salutat **Nicolaus**.



## NUM IMMINET PANDYSELECTRIA?

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- |   |         |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat).....                       | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum).....                  | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser).....                | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne).....     | 22,00 € |

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.*

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA— Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	<b>0050 6A</b>	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibles</b>	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	<b>00107 A</b>	978-3- 938905-27- 2	<b>ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS</b>	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	<b>0020 7A</b>	978-3- 938905-28- 9	<b>OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA</b>	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	<b>00307</b>	978-3- 938905-29- 6	<b>FABELLAE GRIMMIANAE II</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXAGESIMAM QUINTAM**



**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE**

**PERFECIT**

**Die Iovis  
18. m.Aug. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß  
LEO LATINUS  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**